CONSTITUTIONES FRATRUM MINORUM SANCTI FRANCISCI CAPUCCINORUM. A SAC...

Cappuccini, Urbanus 8.>

CONSTITVTIONES
FRATRVM MINORVM
SANCTI FRANCISCI
CAPVCCINORVM.

A Sac. Congregatione Eminentiß. & Reuerendiß. DD. Cardinalium negocijs Episcoporum, & Regularium præposita approbatæ, ac à S. D. N. Papa VRBANO VIII. confirmatæ.



ROMAE, Typis Reu. Cam. Apost. MDCXXXVIII.

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendissimo P. Mag. Sac. Pal. Apost.
I. B. Episc. Camer. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Nicolaus Riccardius Sac. Pal. Apost. Magist.

CONSTITVTIONES FRATRVM MINORVM CAPVCCINORVM S. FRANCISCI.



PROLOGVS.

VT noſtra Congregatio veluti Altiſſimi Filij Dei vinea in ſpirituali Euangelicæ, & Seraphicæ Regulæ obſeruantia melius conſeruaretur, Generali noſtro Capitulo Romæ in noſtro S. Euphemiæ loco Anno Domini 1536, celebrato opportunum viſum fuit nonnulla ſtatuta ordinare, quę tanquam ſepes eiuſdem Congregationis eſſent: quibus vti-

que & ab omnibus viui ſpiritus D. N. IESV Chriſti hoſtibus defendi, & à cunctis relaxationibus feruentiſſimo Seraphici P. N. Franciſci zelo contrarijs immunis conſeruari poſſet.

Sed enim quoniam in ſacra Tridentina Synodo, & à Sūmis Pontificibus nonnulla condita fuerant Decreta his noſtris ordinationibus neceſſariò inſerenda; Adm. R. P. Generalis, & PP. Diffinitores cum conſenſu vniuerſi Capituli generalis, Romæ in noſtro Monaſterio S. Bonauenturę Anno Dñi 1575, congregati, illa eadem ſtatuta, cum illis additionibus, quas dicta exigebant Decreta iterum imprimenda cenſuerunt. Et quia rurſum in Decretis à fælici, & ſancta Clementis VIII. memoria, pro Regularium reformatione Anno Dñi 1599. editis, & à Sacra Congregatione Cardinalium negocijs Regulariũ præpoſita, auctoritate D. N. VRBANI Papæ VIII. innouatis præcipitur, vt ipſa Decreta in perpetuas, & proprias cuiuſcũque Regularium Ordinis Conſtitutiones inſerantur; Idcircò vt hæc ipſa Decreta, quò ad ea, quæ Ordini, & ſtatui noſtro conuenire poſſunt in dicta noſtra ſtatuta includantur, Eminentiſſ. D. Card. S. Honuphrij noſtræ Protector Religionis, hæc primùm quidem à Sacra Eminentiſſimorum, ac Reuerendiſſimorum DD. Cardinalium Congregatione negocijs Regularium præpoſita, approbata; & ab eodem deinde Sanctiſſ. D. N. VRBANO Papa VIII. ſub ſpeciali Diplomate in fine harum Conſtitutionum imprimendo confirmata conſtituit.

IN

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

Incipiunt Conſtitutiones Fratrum Minorum Capuccinorum S. Franciſci.

CVM Euangelica doctrina tota pura, ſummè perfecta, & diuina ad nos è cœlo à dulciſſimo Dei Filio delata, & ab ipſomet operibus, ac verbis prædicata, rectam nos doceat, ac oſtendat viam, qua ad Deum noſtrum primum principium, & vltimum finem perueniamus, ad quam propterea obſeruandam omnes homines obligantur, & cum primis Chriſtiani, & eò ſanè magis nos Fratres Minores, quòd S.P.N. Franciſcus in principio, & fine Seraphicæ Regulæ, expreſſam obſeruantiæ ſancti Euangelij facit mentionem; Et in ſuo pariter Teſtamento dixit, diuinitus ſibi fuiſſe reuelatum, vt iuxta illius formam, & præſcriptum viueret, Idcircò hortamur Fratres, vt illud ſemper ante mentis oculos habeant, & in cordis ſui ſinu, Virginis Cæciliæ exemplo gerant: ſimulq. ſtatuimus, vt ſingulis diebus (die Veneris excepta) in omnibus Conuentibus mane Fratribus prandentibus, Lectio ſancti Euangelij legatur. Die autem Veneris P. S. Franciſci Regula, cùm ſit veluti purum ſpeculum, in quo Euangelica relucet perfectio, in quouis Monaſterio diſtinctè, & cum debita reuerentia legatur, vt mentibus noſtris impreſſa, meliùs obſeruari poſſit. Alijs verò diebus dum Fratres refectionem ſumunt, poſt Euangelij lectionem, aliquis alius deuotus liber legatur: Veſperè autem in cœna prima le-

ctio

ctio Euangelicæ lectionis vice sit ex aliquo alio sacræ Scripturæ libro, vt non tantùm corpus, sed longè magis spiritus pascatur, & ad sectandum Christum Crucifixum excitetur.

Quoniam verò non solùm P. S. Francisci, sed etiam Christi Redemptoris nostri voluntas fuit, vt Regula simpliciter ad litteram, & sine glossa obseruetur, quemadmodum ipsam iam illi primi nostri Seraphici Patres obseruarunt, & ipsa quidem Regula nostra sit obseruatu possibilis, & clara: propterea vt purius obseruetur, nunc denuò, & deinceps semper in futurum, cunctis Priuilegijs, & Glossis renunciamus, quæ illam relaxant, & à pura eius obseruatione distrahunt, & à pia itidem, iusta, sãctaq. Christi Dñi Nostri (qui in S. Francisco loquebatur) mẽte detorquent, pro singulari, ac viua illius interpretatione recipientes Summorum dumtaxat Põtificum Declarationes (quatenus porrò illam declarant, non autem dispensant) & speciatim Nicolai III. & Clementis V. sanctæ mem. sanctissimamq. ipsius nostri Seraphici Patris vitam, doctrinam, & exempla.

Præterea vt tanquam veri, ac legitimi IESV Christi Patris, & Domini Nostri Filij ab ipso in S. Francisco denuò geniti ipsius hæreditatis participes efficiamur; statuimus, vt ab omnibus seruetur ipsius Beatissimi Patris Testamentum, tunc ab eo conditum, cùm beatę morti proximus, sacris Stigmatibus ornatus, feruore, & spiritu sancto plenus nostram vehementissimè desiderabat salutem; Et quamuis per hoc Fratribus nouum iugum vltra id, quod Summi declararunt Pontifices, imponere non intendamus; ipsum nihilominus Testamentum pro Regulæ nostræ Glossa, & expositione recipimus: quemadmodum, & ad hunc finem, & vt promissa itidem Regula meliùs, magisquè catholicè obseruaretur ab ipso Patre nostro fuit cõscriptũ.

Insuper, quia eatenus Seraphici Patris filij sumus, quatenus ipsius vitam imitamur, & doctrinam, sicut Saluator noster Hebræis dixit: Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite: Idcircò Fratres hortamur, vt vnusquisquè pro sua virili parte hunc nostrum optimum Patrem nobis in ducem, & normam propositum, & constitutum, non solùm in Regula, & Testamento, sed in omnibus etiam suis flammigeris verbis, diuinisq. operibus imitari enitatur: ac proinde illius vita, & beatorum ipsius sodalium frequenter legatur.

Ad

Ad hæc, quoniam Sanctus Pater noster totus diuinus, Deum in omni creatura contemplabatur, & in homine speciatim, ac multò adhuc magis in Christiano, sed pręcipuè in Sacerdote, & præ omnibus in Summo Pontifice, hincq. subinde voluit, vt sui Fratres secundùm Apostolicam doctrinam illius amore, qui nostri causa tantùm se humiliauit, suæ diuinæ Maiestati in omni humana creatura subijcerentur: proinde vt humillimo Crucifixo Domino nostro, qui ad seruiendum nobis venit, factus obediens vsque ad asperam Crucis mortem conformes simus, & vt Patris nostri voluntatem impleamus, qui propterea nos Fratres Minores appellari voluit, vt non solum corde nos omnibus esse inferiores existimaremus, verùm etiam, vt ad nuptias sanctissimi sponsi in militante Ecclesia inuitati, in vltimo sisti loco studeremus, præcipimus omnibus Fratribus, vt Summo Pontifici supremo omnium Christianorum Patri cum omni humilitate, & subiectione obediant. In certum autem & euidens huius humilitatis & obedientiæ argumentum Pater Ordinis Procurator cuncta Pontificia, & Ecclesiastica Decreta, quæ hactenus nondum missa fuerunt, & quæ posthac à Sanctiss. Domino Nostro, vel à Sacris Congregationibus edentur, ab vniuerso Ordine obseruatu necessaria, omnibus Ordinis Prouincialibus mittenda curabit; quæ Prouinciales deinceps ad omnes Guardianos mittere teneantur: Guardiani verò hæc omnibus Fratribus in Refectorio palàm facere obstringantur sub pœna priuationis officij à contrafacientibus incurrenda. Hortamur etiam Fratres, vt omnes catholicos Prælatos, & Sacerdotes, ac omnes insuper, qui nos viam Dei docent, debita prosequantur reuerentia; illud pro comperto habentes, quò vilior, & abiectior fuerit persona, cui propter D.N.IESV Christi amorem humiliamur, eò & humilitatem gloriosiorem fore, Deoq. magis gratam.

1. Pet. 2. 13.

Philip. 2. 8.

Luc. 14. 10.

CAPVT

CAPVT II.

CVM noſtrum deſiderium ſit, vt Congregatio noſtra in virtute magis, perfectione, ac ſpiritu, quàm in multitudine creſcat, & augeatur; ſcientes, quòd (vt infallibilis Veritas ait) *Multi ſunt vocati pauci vero electi;* & quòd (quemadmodum Seraphicus Pater morti propinquus prædixit) Nulla res alia, puræ Regulæ obſeruationi tanto futura eſt detrimento, quanto inutilium, & ſenſualium Fratrum multitudo: ſtatuimus, vt cùm aliqui noſtri Ordinis inſtitutũ ſuſcepturi venerint; Patres Miniſtri Prouinciales diligenti perquiſitione ſcire curent eorum naturam, qualitates, & mores; etiam ſi Regulares cuiuſuis Regulæ, & Inſtituti fuerint; & præter conditiones à ſacris Canonibus, & Apoſtolicis conſtitutionibus præſcriptas, etiam ſequentes eos habere oportet; nimirum.

Matt. 20. — *c. exijt de verb. ſignif. §. iterum.* — *Clem. 8. pro refor. reg.*

Primo. Vt ſint Catholici, firmiter credentes omnia, quæ S. Romana Eccleſia credit, ac tenet: qui verò antea fuiſſet hæreticus, & infidelis, non recipiatur. Venientes autem in Catholica Fide, ac Chriſtianis virtutibus eruditi, & inſtructi, à Patre Prouinciali, & Patribus Diffinitoribus in Capitulo Prouinciali, aut in Congregatione recipi poſſint. Nullo porrò modo recipiendi ſunt, qui primò fuiſſent Catholici, & deinde in hæreſim lapſi à fide defeciſſent.

2. Vt à genitoribus, ſeu progenitoribus, qui fatui, aut dementes fuerint, non ſint procreati; neque ipſi itidem aliquam mentis diminutionem, aut dementiam patiantur; ſed mente, & corpore ſint ſani, & feruenti voluntate pręditi; compertumq. ſubinde habeatur, eos cum pura, & ſola Deo inſeruiendi intentione venire.

3. Vt ſint bonæ famæ; infames autem, putà qui nefandi criminis reus factus fuiſſet: vel collariæ ſeu (vt dicitur) berlinæ addictus, vel publicè flagellatus, ſeu virgis cæſus, vel aliquod ſcandaloſum delictum, vtpote libellum famoſum, proditionem, vel quid ſimile perpetraſſet, non recipiatur.

4. Qui patrem, matrem, aut filios adeo pauperes habuerit,

rit,

rit, vt absque illius opera, & adminiculis vitam transigere, nequeant, non recipiatur.

5. Cum ijs, qui Matrimonio consummato copulati fuerint, Regula obseruetur.

6. Qui aliás fuerit noster Nouitius, à Patre Ministro illius tantummodo Prouinciæ, vnde discesserit, dummodò nullum patrarit scandalum, & semel dumtaxat discesserit, recipi possit.

7. Qui à quauis Religione apostatauerit, non recipiatur.

8. Qui lepra, epilepsia, seu comitiali morbo, aut alia contagiosa, seu insanabili infirmitate fuerit infectus, neq; ad Religionē neq; ad professionem recipiatur. Quam ob rem Ministri Prouinciales, Guardiani, & Magistri Nouitiorum exacta diligētia incumbant, ne quis huiuscemodi morbis infectus ad Religionem admittatur sub pęna tàm Ministris Prouincialibus, quā Guardianis, & Nouitiorum Magistris, priuationis officij.

9. Qui ad Clericorum statum recipiēdus fuerit, communiter decimum septimum annum excedat: In laicorum verò numerum referendus veniens, ordinariè non minor nouendecim annis expletis natu sit. Qui autem quinque & quadraginta annis maior fuerit, non admittatur, nisi fortè magna in Populo ex eius receptione futura sit ædificatio.

Pater autem Minister Prouincialis cum Patribus Diffinitoribus in Prouinciali Capitulo, moderatum quendam præscribant numerum eorum, qui tempore ab vno ad aliud Capitulum decurrente, sunt recipiendi (de ijs porrò qui ad professionem admissi fuerint, intelligendum,) quem deinceps sub nullo quouis prætextu augeri posse volumus. Dictorum porrò Nouitiorum receptio, in Capitulis dumtaxat, & Congregationibus, in quibus Diffinitores conueniunt, fiat. Si verò nonnunquam in Visitationibus contigerit, aliquam insignem personam sese ad Religionem offerre, quæ particularis alicuius progressus spem præseferat, possit ipsam Pater Prouincialis cum consilio trium, aut quatuor Fratrum ex prouectioribus illius familiæ, vbi se præsentauerit, recipere, certiores deinceps PP. Diffinitores facturus. Nemo verò recipi possit, nisi per aliquot menses priùs se Patri Ministro Prouinciali, aut Superiori locali præsentauerit: post quam quidem præsentationem, ipsi Patres

vel per se ipsos, vel per alios diligenter exquirant, num omnes illæ adsint conditiones, quæ ad huiusmodi receptionem sunt necessariæ.

Si quis verò Patrum Ministrorum aliquem Nouitium ad Regularem habitum contra prædictas Constitutiones admiserit, in sequenti Capitulo se semel in Refectorio publica disciplina flagellet, præter alias pœnas in dictis Apostolicis Cõstitutionibus præscriptas, in quas quidem incidisse intelligantur, si quempiam contra formam in dictis Constitutionibus præscriptam receperint.

Præterea statuitur, ne Nouitij aduenæ, nec illi quidem, qui ex contiguis Prouincijs venerint (Romana excepta) recipiantur: eam vtique ob causam; vt conueniens de illorum qualitatibus possit haberi scientia. Præcipuè verò decernimus, ne in Corsicæ Prouincia ad Religionem admitti possint, qui ab alijs Prouincijs, Genuæ præsertim, & Tusciæ reprobati fuerint. Si qui autem contra hanc Constitutionem fuerint recepti, horum receptionem nullam esse declaramus: Pater verò Prouincialis voce passiua ad arbitrium Admodum R. Patris Generalis priuatus existat.

Decernitur insuper, vt qui ad hoc nostrum Institutum fuerint recepti, antequam Religionis habitum induantur, in aliquo nostrorum Conuentuum, saltem per octiduum in ijs omnibus exerceantur, quæ à Fratribus obseruantur, vt hinc & bonum illorum desiderium probetur, & ipsi maiori illustratione, maturitate, ac deliberatione tantum opus aggrediantur. Id quod pariter & de Regularibus, qui ad Ordinem nostrum transire voluerint, intelligendum est.

Porrò autem, quoniam Christus sapientissimus Magister illi Iuueni, qui se saluari velle præseferebat, mandauit, vt si suus vellet esse discipulus, venderet omnia, quæ habebat, & daret
Matt. 19. pauperibus: id quod imitator ipsius Franciscus non solum obseruauit, & exemplo in se, & in ijs, quos recipiebat, docuit, sed etiam in Regula præcipit: Idcircò vt Domino, & Saluatori nostro IESV Christo, & Seraphici Patris voluntati simus conformes; Prouincialibus Ministris mandamus, vt quando Nouitios receperint, iuxta Regulæ præceptum, dicant illis sancti Euangelij verba. Vt vadant, & vendant omnia quæ habent,

&

& dent pauperibus (si hoc vtique præstare valeant (vt cum maiori mentis quiete, & cordis robore se totos perpetuò diuino cultui dedicare possint.

Fratres autem caueant ne vllo modo se in eorum distribuendis facultatibus ingerant; sed ab omni prorsus huiusce modi cura liberi, & immunes in Domini pace maneant. Hanc porrò suorum bonorum alienationem, si ante Religionis ingressum non fecerint, post susceptum Religionis habitum, nequaquam illis facere permittatur ante tempus à sacra Tridentinâ Synodo præfinitum cum conditionibus in Cap. *Nulla quoque renunciatio*, expressis. Per hoc autem haud quaquam Nouitijs inhibitum esse intelligitur, ne Testamentum, quandocunque illis libuerit, facere possint, vt à Pio V. sanctæ mem. & ab Eminentissimorum pro eiusmodi munere Deputatorum Congregatione declaratum fuit.

Clem. exiui. §. caterum.

Seß. 25. de Regular. c. 16.

Statuitur etiam, vt Nouitiorum à sæculo venientium vestimenta vsque ad diem professionis illorum seruentur, vti etiam & Regularium. Quibus in vocatione perseuerantibus, quæ quidem sunt sæcularium, eorum manibus, si fieri possit, aut ex illorum mandato pauperibus distribuantur: Quæ verò sunt Regularium, Ministri Prouincialis manibus, ijs quibus debentur, distribuantur. Nullo autem modo, sub proprietatis pœna Nouitiorum Magister, aut Fratres professi illius familiæ, vel alij per se, aut per alios sese bonorum, aut vestium Nouitiorum distributioni immisceant.

Et ne nobis illud iure obijciatur, quod Christus sanctissimus Scribis, & Pharisæis dixit: *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ: quia circuitis mare, & aridam, vt faciatis vnum proselytum: & cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos.* Statuitur, vt in omni Prouincia Nouitij in duobus, aut tribus locis spiritui idoneis, ad hoc in Capitulo designatis collocentur. Quibus itidem Magistri prudentes, maturi, & in Dei via illuminati deputentur, qui eos diligenti cura non solùm de ceremonijs, sed de ijs etiam (& id sanè præ omnibus) quæ ad spiritum pertinent, & ad veram Christi nostræ lucis, viæ veritatis, & vitæ imitationem sunt maximè necessaria, instruendos suscipiant; exemplo ac verbis illa ipsos docentes, in quibus perfecti Christiani, veriq. Fratris Minoris vita consistit.

Matt. 23.

Ad professionem verò non admittantur, si primùm cognita non habeant, quæ promittere, & obseruare debent. Ea propter Magistri enitantur, vt in ipso Nouitiatus anno totam Regulam ediscant, & quæ sint ipsius Regulę præcepta, quæ consilia, & monita, quibus nos noster Seraphicus Pater in illa instituit: declarantes ipsis quænam fuerit ipsius nostri Sanctissimi Patris circa Regulæ obseruationem intentio, vt anno exacto optimè sciant, quæ illos facere oporteat. Et è Clericorum quidem numero nullus Nouitius ad professionem admittatur, si primùm per semetipsum diuinum persoluere officium non didicerit.

Qui ex Patribus Conuentualibus, vel ex quauis alia S. Francisci familia venerint, in probatione per annum stabunt, eoq. elapso professionem emittent, sicut & cæteri. Illi verò Fratres, qui post emissam in nostra Religione professionem cum legitima facultate ad alias Religiones transmeauerint, atque in illis professi fuerint, amplius non recipiantur.

Clemē. 8. pro refor Regul.

Vt verò Nouitij cum quiete, pace, & silentio in spiritu magis firmentur, Constitutionibus fæl. sanctæq. memoriæ Clem. VIII. inhærentes, statuimus, vt nemo præter Patrem Guardianum, & ipsorum Magistrum cum illis longum habeat sermonem, nec absque speciali Guardiani licētia aliquis illorum cellam ingrediatur, nec ipsi alicuius alterius siue professi, siue Nouitij cellam ingredi præsumant: pœna proposita tàm professis quàm Nouitijs flagellandi se ipsos publicè in Refectorio per Miserere, & semel comedendi in pane & aqua.

Hierony. epist. 25. ad Paulā de obitu Blesil. Bern. lib. de dispēs. & præcepto subso. 161. Anselm. lib. de simil. c. vlt.

Quoniam verò secundum Doctores, Nouitij professionem cum debitis circumstantijs emittentes, innocentiæ baptismali restituuntur: æquum est, vt ante professionem se magna cum diligentia, cum pura confessione, deuota communione, ac feruenti oratione, facta prius generali in Religionis ingressu confessione, præparent, vt sic nouum induant hominem.

In recipiendis autem dictis Nouitijs tàm ad Religionem, quàm ad professionem, modi, & cerimoniæ in Ordine nostro vsu receptæ, & approbatæ in fine huius libri digerendæ obseruentur. Nullus verò Nouitiorum ad professionem admittatur, nisi suffragia maioris partis Fratrum, qui cum illo per quatuor continuos menses, aut circiter in eodem loco hæserint, ha-

habuerit: Quapropter Ministri Prouinciales dicto temporis spacio professioni propinquo neminem Nouitiorum à loco, in quo Nouitiatus iugum subiuit, amoueant. Sin autem illum ex aliqua necessitate mutari oporteat, aut familia à Capitulo ab eo loco dimoueri contingat, antequam hæc mutatio fiat suffragia ineantur. In locis autem pro Nouitiatu designatis, PP. Prouinciales septem ad minimum Fratres professos spirituales, prudentes, & maturos omninò collocandos curabunt, qui in effectu in Nouitiatus loco habitent: & ea quidem ratione res disponent, vt in ferendis pro ipsis suffragijs numerus semper sit impar Patre Guardiano compræhenso. Iuuenum vota, & suffragia in admittendis ad professionem Nouitijs nullius sint vigoris, nisi post quartum in Religione annum expletum; sed suam solum opinionem, & sentētiam dicant. Quemadmodum neque PP. Ministri Prouinciales in Nouitiorum ad professionem receptione nullam ferendi suffragia facultatem habeāt, quamuis hanc ad exclusionem habeant. Quibus prætere a & illud compertū esse debet se nullū Nouitiū ad professionem absque suffragijs, & consensu maioris partis Fratrum illius familiæ admittere posse. Volumus autem vt ter in anno, nempe semel quarto quoque mense professorum in eadem familia cum illis commorantium vota exigantur; aut Fratrum sententiæ, seu opiniones, vel arbitria de Nouitiorum probitate explorentur, prout PP. Prouinciales hoc an illud magis expedire iudicauerint. Et ipsi quidem PP. Prouinciales præfatæ votorum exactioni semel saltem præsētes esse omninò curēt. *Tho. 22. qu. 189. ar. 3. ad 3*

Præterea, & illud quoque admonendū ducimus, vt si quandoque contingat aliquem Nouitiorum, quem euidenter constet Religioni non esse idoneum, dimitti, ne hoc vsque ad anni finem protrahatur, aliquandiu, putà per mensem circiter ante professionis tempus, vota vltimò ferenda colligantur, & qui quidem tunc inclusionem necessarijs votorum suffragijs habuerit, suo tempore professionem emittet, nisi forte post lata exactaq. suffragia aliquid noui cuiuspiam momenti contingat, de quo Pater Prouincialis quamprimum certior fiat, & ab ipso responsum expectetur, nùm denuò suffragia ferenda sint, an non item. Quando autem Clerici professionem emittent, tunc etiam fidei professionem facient.

In-

Clem. viij pro refor. Regul.

Insuper statuimus, vt vniuscuiusquè professio ab ipsomet profitente propria manu, si quidem scribere sciat, cum sua ætate scribatur, vel ab alio scribenda curetur cum testibus inibi præsentibus, & diligenter in loco sera clauso custodiatur; vt si opus fuerit, in promptu habeatur. Atque eadem pariter à Patre Prouinciali in particulari registretur libello, quem singuli Prouinciales Ministri pro registro professionum habendum curabunt.

Vt autē Nouitij meliùs Domini iugum ferre discant, statuimus, vt etiam postquam emiserint professionem, saltem per triennium sub Magistri disciplina persistant: & qui futurus est eorum Guardianus, idem pariter sit & ipsorum Magister, omnia ab illis obseruanda curaturus, quæ Nouitij obseruare solent. Singulis diebus se in Refectorio coram Prælato de singulis culpis accusent, & singulis itidem sextis ferijs se in Refectorio flagellent, nisi aliquando ex rationabili causa illis indulgeatur: Nimirum vt non ita facilè spiritum recens acquisitum amittant, sed maioris semper corroborationis accessu in IESV Christi amore magis stabiliantur, & confirmentur. Quinimmò, quoniam Religionis conseruatio cum primis in optima Iuuenum institutione non solùm in Nouitiatibus; sed etiam extra illos consistit; statuitur vt Iuuenum recenter professorum Seminaria iuxta Clem. VIII. Decretum omninò erigenda curentur, in quibus saltem per biennium, vel etiam vltra, si hoc Patres Prouinciales conducibile arbitrabuntur, sub ea, qua solent Nouitij exerceri disciplina, continebuntur. Quibus & proinde in Magistros, & Superiores designentur personæ, illorum institutioni in rebus spiritus idoneæ, atque adeò & illis conditionibus (vt commemoratus Pontifex dixit) præditæ, quibus Nouitiorum Magistros præcellere decet.

Et Patres quidem Guardiani, ac Seminariorum Magistri, exercitia, seu spirituales collationes ter saltem in hebdomada faciant, sermonem non solùm cum Clericis, sed etiam cum Laicis iuuenibus habentes de virtutibus sanctis, & de his denique rebus, quas spiritualis vitæ Magistri ad assequendam perfectionem necessariò consectandas docent. Si quis autem Patrum Guardianorum, vel Magistrorum huic muneri defuerit, in sequenti Capitulo ab officio omninò deponatur.

Eo-

Eodem porrò tempore, quo in Seminarijs Clerici Iuuenes permanebunt, poterunt, quinimmò, (vt in dicto Clementis VIII. decreto decernitur,) & debebunt per nonnullas horas diei conuenientibus litterarum studijs, puta Grammaticæ, & rerum ad ordinationes spectantium operam nauare; vt cùm ex Seminarijs educentur, apti & idonei inueniantur ad illa Religionis munia subeunda, quæ illis fore magis conducibilia, censebuntur. Quòd si fortè fortuna contigerit dictos Clericos ante quatuor Religionis annos exactos, ad maiora studia, puta Logicæ, Philosophiæ, & Theologiæ applicari, ad illa omnia seruanda omninò compellantur, quæ ad Nouitiorum educationem iuxta præscriptam formam pertinent. Districtè autem PP. Guardianorum, & Magistrorum conscientiam grauamus, si in huiusce constitutionis obseruatione incuriosi, aut negligentes fuerint. Quibus pariter protestamur se certissimam Deo, & Patri S. Francisco de graui detrimento spirituali, quod tàm ipsis Iuuenibus, quàm Religioni ex praua illorum educatione futurum est, reddituros esse rationem. Et propterea cùm Patres Prouinciales ad Conuentus, in quibus eiusmodi Iuuenes commorantur visitationis causa venerint, diligentem de obseruantia huius tanti ponderis constitutionis habeant perquisitionem, & cum zelo, sanctaq. seueritate transgressores puniant: & si quempiam Fratrum deprehenderint, qui dictis Iuuenibus sit relaxationis causa, in hunc seuerè animaduertant, & illum ab ea familia amoueant.

Clem. viij de refor. Regul.

Postquam verò dicti Iuuenes quadriennium in Religione exegerint, ipsi quoque eo modò, quo & reliqui Fratres semper diebus Lunæ, Mercurij, & Veneris se publicè in Refectorio de suis culpis, & erratis accusabunt. Quibus diebus Superiores omninò huiusmodi accusationes excipiant, hac etiam in parte Clementis VIII. decretum obseruando, & nulla facta culparum, & erratorum dissimulatione, cum charitate illis pœnitentias adiungant; occasionem subditis persistendi in timore, & crescendi in mortificatione, & merito apud Dominum præbentes.

Clem. viij de refor. Regul.

Quoniam verò silentij præsertim, & solitudinis habitus non ita facilè suas in iuueniles animos infigit radices; idcircò statuimus, vt nemo ex prouectioribus Fratribus longos cum Fra-

tribus

tribus iuuenibus tàm Clericis, quàm Laicis quousquè septennium in Religione expleuerint, præsumat habere sermones, vel eorum ingredi Cellas. Quò pariter septennij tempore neque ipsis Iuuenibus absque licentia fas sit in suas inuicem, & longè adhuc minùs in Fratrum prouectiorum Cellas intrare. Quisquis autem Fratrum tàm ex prouectioribus, quàm ex iuuenibus huius Constitutionis transgressor extiterit, publica in Refectorio flagellatione tanto temporis spatio, quo Psalmus Miserere recitetur, protrahenda, in semetipsum excipiat, & in terra insuper genibus prouolutus solo pane, & aqua vescatur, eamdem pœnam toties subiturus, quoties in eamdem deliquerit constitutionem. Atque eidem pariter pœnæ & Patres Guardiani, & Magistri respectiuè toties sint obnoxij, quoties absque vera necessitate super hac constitutione dispensauerint, eamq. relaxauerint; & nisi corrigantur, in proximo Capitulo Magisterij, & Guardianatus officio priuati omninò existant.

Ad maiorem porrò Regularis disciplinæ, maximè solitudinis, & silentij quod (vt suo loco dicetur) perpetuum in Dormitorijs esse debet, obseruātiam, vniuersis Fratribus tàm iuuenibus, quàm prouectis generatim præcipimus, vt cùm illis aliqua occurrerit necessitas tractandi in cella cum dictis Iuuenibus cum licentia expressa non generatim, sed singillatim pro qualibet vice obtinenda; tunc toto illo tempore quo ibidem morabuntur (exceptis eorum Superioribus, aut Magistris) ianuam omninò apertam relinquant, vt à transeuntibus per Dormitorium, præsertim à Superioribus videri possint, pœna, publicæ in Refectorio flagellationis vnius Miserere spatio protrahendæ, simulq. panem, & aquam comedendi transgressoribus proposita, ab ipsis absque vlla dispensatione semper quotiescunque deliquerint subeunda: quæ pariter toties illis dupplicabitur, quoties in sua peruicacia persistentes eamdem culpam iterauerint.

Casin. in cap. 22. reg. §. 3. Cart. p. 2. stat. c. 14 nu. 4.

Et quoniam Superiores, & Prælati in Regularis disciplinæ, maximè solitudinis, & silentij obseruatione seipsos subditis normam, & exemplar exhibere debent: statuimus, vt silentij tempore nullo modò subditis permittant se conuenire, suasquè cellas cuiusuis rei tractandæ causa adire; casibus dumtaxat exceptis, qui temporis moram non patiuntur: Qui autem contra-

trasecerint à Patribus Prouincialibus in Visitationibus publica flagellatione in Refectorio infligenda omninò plectantur.

Postremò quoniam optima Iuuenum institutio nobis maiori præ omnibus alijs propemodum rebus æstimationi habetur, vehementiori, qua possumus, verborum efficacia, & cordis affectu per Domini nostri IESV Christi viscera rogamus, & hortamur Patres Prouinciales, & Guardianos vt summa cordis contentione huic grauissimo negocio, à quo vtique Religionis cõseruatio pendet, incumbant, non solum grauiores, sed etiam minimas pensihabentes relaxationes. Quibus præterea & illud omninò præcauendum erit ne dicti Iuuenes corporalibus exercitijs æquò amplius distineantur, sed ea demum moderatione in his occupentur, vt illis otium supersit, quo alicui litterarum studio (quò ad Clericos) operam nauare, & multo magis (quò ad Clericos, & Laicos) vt orationi, & interioris mortificationis exercitio vacare possint.

Et ne penuria Clericorum, quibus frequentiùs vsu venit, vt sacrarij cura demandetur, Seminaria omittantur; statuitur, vt omnes posthac in Clericorum statum recipiendi, vel qui Sacerdotes fuerint, & ineunte tempore concionandi officio nó fungentur, sacrarij munus vsque ad duodecimum Religionis annum, & vlteriùs præterea, si hoc Patribus Prouincialibus visum fuerit expedire, subire, ac exequi teneantur. Qui autem absque rationabili causa ab ipsis Patribus dijudicanda hoc ministerio fungi renuerint, voce actiua, & passiua vsque ad duodecimum annum priuati existant: à qua quidem pœna soluentur, quoties facti pœnitentes, oneri recusato collum subijcient: & num quidem verbis facta respondeant, effectus probabit.

Porrò autem quoniam non otiosè Saluator noster S. Ioannis Baptistæ vestitus austeritatem commendauit, quando dixit: *Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt*: idcirco statutum est, vt Fratres, qui abiecti esse in domo Dei elegerunt, vilioribus, austerioribus, rudioribus, & despectioribus induantur vestimentis, & pannis, qui commodè in ea Regione, ac Prouincia, in qua degunt, possunt haberi: illisq. proinde in memoriam veniant sacci, quibus Sanctus Pater Franciscus nostros resarciri habitus, & funes quibus nos cingi voluit, hæc *Matt. 11.*

vtique pręciosis vestibus, & mundi diuitibus non congruere.

Hortatur prȩterea Generale Capitulum omnes Fratres, vt habitu solo, si possint, contenti sint, quemadmodum noster Pater in suo Testamento de se ipso, & suis primis Fratribus expressit, cùm dixit: *& contenti eramus vnica tunica intus, & foris resarcita*. Nihilominus si Fratres voluerint, altera illis per Regulam tunica conceditur: his porrò pallium absque necessitate, & sui Patris Prouincialis licentia ferre non permittitur.

cap.exiij §.licet.et Clem.exiui.§.praeterea.

Et vt paupertas Dei Filio, & Seraphico Patri tàm dilecta, & nobis in matrem data, in omnibus, quȩ nobis in vsum cedunt, resplendeat; Statuitur, vt pallia vltra manuum extremitatem non defluant, capuccio careant & absque necessitate non deferantur: Habitus longitudine quidem pedum compages non excedant, latitudine verò vndenos, vel summum pro corpulentioribus duodenos palmos non prȩtereant: manicȩ autem eius tantùm latitudinis sint, quȩ brachijs induendis, & exuendis est necessaria, & longitudine verò vsque ad medias manus se extendant. Tunicȩ vilissimȩ sint, & rudes, quarum latitudo ad nouem tantummodo palmos pertingat, & dimidio saltem palmo sint habitu breuiores. Capuccium sit quadratum, quale illud Patris Sancti Francisci, & sociorum fuisse in conformitatibus memoria proditum est; Ita vt habitus noster Crucis formam prȩseferat, vt hinc cognitum compertumq. habeamus nos Mundo crucifixos esse, & nobis Mundum. Cinctus prȩterea noster sit funis rudis, vilissima, & crassa, simplicissimis nodis, & nulla curiositate, aut singularitate elaboratis complexa, vt mundo despectui habiti, hinc maioris exercendȩ mortificationis occasionem captemus. Galeri insuper, Biretta, seu Capitia, & pileoli, & res superuacaneȩ vsui, non habeantur: si quis verò Fratrum pileolo, sculponeis, aut aliqua re alia opus habuerit, de his à Patre Prouinciali licentiam obtineat: is porrò Guardianus non eligatur, neque vllo modo his vti extra Monasterium permittatur: Quicunque verò eiusmodi rebus absque licentia vti prȩsumpserit, actiuis, & passiuis suffragijs priuatus existat.

In singulis nostris Conuentibus sit locus, in quo ab aliquo Fratre ad id muneris deputato Communitatis panni custodiantur,

tur, qui ab illo mundi, & resarciti Fratribus ad eorum necessarios vsus commodandi seruentur, à quibus deinceps mundi, & à sordibus purgati, postquam illorum vsu suæ satisfecerint necessitati, cum humili gratiarum actione restituantur.

Et vt cubilia, lectusue nostri similes illi sint, super quo vita functus est ille, qui dixit: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet*; & vt præterea vigilantiores simus, & ad orationem magis soliciti; & Patri nostro S. Francisco, cui frequenter nuda humus lecto, & cubili fuit; quinimmo & Christo sancto sanctorum, qui eodem lecto in aspero deserto vsus fuit, magis conformes; Statuimus, vt Fratres ordinariè super paleis, rudi desuper expansa tela dormiant; & si quidem Iuuenes robustiores maioris austeritatis gratia super storea tantùm; vel nudis tabulis dormire voluerint, id cum suorum Prælatorum licentia, cùm cópertũ fuerit, illis detrimento non esse, facere poterũt.

Porrò Prælati curandum studeant, vt quemadmodum hactenus semper à nostra Religione obseruatum fuit, & nunc pariter obseruatur, ita & posthac Clementis VIII. seruetur decretum, quo statuitur, vt nullus etiam Superior cellas siue in claustro, siue alibi separatas à communi Dormitorio habeat; sed vnusquisque vnica cella eadem cum cæteris aliorum Fratrum coniuncta, contentus sit. *Clem. viij. de refor. regular.*

Præterea iuxta Euangelicam doctrinam, & ad nostrorum priscorum Patrum imitationem sandalia (eò quòd calceamenta non sint) deferri poterunt, sed simplicia, & vilia, ac parui pręcij, & absque vlla curiositate.

Et vt ad summum altissimæ Paupertatis Christi Domini Nostri, & Seraphici Patris sponsæ, nostræq. dilectissimæ matris fastigium ascendere valeamus, cunctos Fratres hortamur, vt nullo cordis affectu in terra hæreant, sed totum semper in cœlum amorem transferant, hisce rebus terrenis quasi coactè sola ducti necessitate parcissimè (quoad eius fieri poterit, & eorũ imbecillitas permiserit) vtentes, sanctæ Paupertatis thesauro sese diuites æstimantes. Et quoniam nostri Seraphici Patris Francisci voluntas fuit, vt res omnes Fratrum vsui concessæ communiter haberentur, vt omnis rerum particularium affectus ab eorum animis radicitus euellatur; huic, & Clementis

Clem. viij vbi sup. insuper VIII. fel. mem. decreto inhærentes, statuimus vt etiam strophiola, seu sudaria, & succinctoria, seu mutatoria habeantur communia, non autem particulari vsui concessa, quæ munda, & etiam si opus fuerit, resarcita ab illo Fratre seruentur, cui de his cura à Superiore fuerit concredita. Illud quippe nos meminisse oportet Fratrem Minorem (iuxta sententiam Seraphici Patris) nil aliud esse debere, quàm omnium virtutum, & præcipuè Paupertatis speculum.

Tonsura vicenis diebus, seu semel singulis quibusq. mensibus forficibus fiat. Pelluuium vsui non habeatur, sed sola nouacula ad cucurbitularum vsum. Barba deferatur quemadmodum & Christum sanctissimum, & Apostolos, & Patrem nostrum S. Franciscum detulisse legimus.

Et ne Fratrum quispiam dæmonis instigatione, solitudinem *Exod. 16* & quietem nostram odio habens, ad Aegypti carnes, vnde fuit ereptus, iterum reuertatur, & vt in hoc insuper ijs, quæ in secundo Regulæ Capitulo scripta sunt, conformes efficiamur: Nullo scilicet pacto Fratribus post emissam professionem fas esse ab hac Religione egredi; ab Admod. R. P. Generali, & ab vniuerso Generali Capitulo, omnes nostræ Religionis Apostatæ declarantur esse ipso facto excommunicati. Nihilominus vt omnibus Fratribus nostris, qui à nostra Congregatione defecerint, & abscesserint, misericordiæ ianua pateat, & ad pœnitentiæ regressum prouocentur, statuimus, vt si quis redire voluerit, à Patre Ministro Prouinciali suæ Prouinciæ, vel proximarum recipi possit, à quo publicè in Refectorio cum solitis ceremonijs ab excommunicatione absoluatur, (idque in omnibus Apostatarum receptionibus obseruetur, & pœnis mox præscribendis obnoxij sint.

1 Qui primò à Religione abierit, & foris vltra 24. horarum spatium non manserit, neque aliquod delictum, aut scandalum patrauerit, neque habitum dimiserit, vltro regrediens vt Apostata absoluatur, & ter sese in publico Refectorio disciplina per Miserere flagellet, totiesq. itidem in vna hebdomada, nempè diebus Lunæ, Mercurij, & Veneris in pane & aqua ieiunet, ac trium mensium tempore quotidie culpam dicat. Si porrò vna, aut duæ ex dictis circunstantijs defuerint, Patris Prouincialis, & Diffinitorum arbitrio puniatur.

Si

Si autem animi leuitate secundò egressus fuerit, & dicto pariter 24. horarum tempore solùm extra Religionem permanserit, eisdem pœnis, verumtamen dupplicatis subijciatur, & caparonem præterea per mensem ferat.

Si verò tertiò per idem 24. horarum spatium exierit, dictæ omnes pœnitentiæ dupplicentur, & per mensem insuper in carcerem conijciatur. Quòd si etiam quartò per idem 24. horarum tempus à Religione desciuerit, dupplicatis itidem omnibus pœnis subdatur, ac per sex menses in carcerem contrudatur.

Qui porrò primò egressus foris pluribus diebus (intra mensem tamen) moratus fuerit, & extra Prouinciam, à qua defecerit, euagatus non sit, absoluatur vt supra, & sexies per Miserere in publico Refectorio sese disciplina castiget, ac duabus hebdomadibus diebus Lunę, Mercurij, & Veneris solo pane, & aqua vescatur, & tanto temporis spatio caparonem deferet, quanto foris permanserit, per annum vtroque suffragio priuatus existat, atque singulis diebus Nouitiorum more sese in Refectorio de suis culpis accusabit. Quòd si in illo primo egressu extra Religionem vltra mensem commoratus fuerit, vel intra mensem extra propriam Prouinciam vagatus sit, vltra dictas pœnitentias actiuo, passiuoq. suffragio per quadriennium post suum reditum priuatus sit, & tanto temporis spatio carcere detineatur, quanto foris moratus fuerit, & per idem tempus præterea, & aliud insuper quadriennium, præcedentiam temporis antiquitate illi debitam amittat, in quo quidem à Generali tantummodo Capitulo dispensari possit.

Qui autem secundo discesserit, vltra præmissas pœnitentias, perpetuæ vtriusque suffragij priuationi subiaceat, & si fuerit Concionator, concionãdi munere, & officio ad arbitrium Admod. R. P. Generalis priuatus existat, & per tantum temporis spatium dupplicatò carceris pœna plectatur, quantum foris manserit.

Qui verò tertiò abierit, vltra descriptas pœnitentias, carceris pęna, Patris Prouincialis, & Diffinitorum prouincialis Capituli arbitrio plectatur, vniuersum, quo in Religione vitam transegit, tempus amittat, adeo vt, prima sui regressus dies perinde habeatur ac si à sæculo primùm veniret, & Nouitiorum habitum acciperet: in vltimo Sacerdotum loco, si sit Sacerdos,

vel

vel Clericorum, si sit Clericus, vel Laicorum, si Laicus fuerit sedeat: in cuius sanè temporis amissione nullo modo absque Generalis Capituli consensu dispensari possit.

Et quoniam iterati, ac multiplicati à Religione egressus nimiæ instabilitatis, & inconstantiæ sunt argumentum, & inditium, & hinc multa sequi possunt inconuenientia: propterea, ne quis egressus in graue animæ suæ, ac totius Religionis detrimentum multiplicet; statuimus, vt si quis quattò defecerit, vltra omnes dictas pœnitentias in carcerem trudatur, à quo nisi à Generali Capitulo liberari possit; quod pariter & rogatum esse volumus, vt sese in huiusmodi liberatione difficile exhibeat.

Declaratur porrò dictas omnes pęnitentias pro sola Apostasia infligendas esse: nam si præter Apostasiam, aliquod erratum siue ante, siue post egressum admiserit; iuxta excessus qualitatem puniendus erit. Si quis autem ex dictis Apostatis ab Admod. R.P. Generali dispensatus sit, is tamen nunquam in tempore, quo extra Religionem euagatus fuerit, dispensatus esse intelligatur. Quemadmodum & illud notum esse volumus, caparonis pœnę nequaquam fieri satis si in carcere caparo feratur; sed tùm solum cùm extra carcerem gestatus fuerit.

Si quispiam porrò extra suam Prouinciam receptus fuerit, Pater Prouincialis illius Prouinciæ ipsum primò ab excommunicatione absoluat, & professorum habitu indutum in suā propriam Prouinciam, factis illi litteris obedientialibus, & additis, vt oportuerit, comitibus remittat.

Si quis autem, in sua Prouincia, vel suæ Prouinciæ proximis, & contiguis recipi renuerit; & Romam recipiendus venerit, hunc Admodum R. Pater Procurator in foro tantummodò conscientiæ absoluat, ac deinde illum ad Prouinciam, à qua discesserit, cum eadem habitu, cum quo venit, remittat; simulque illius Patrem Prouincialem, aut aliquem ex Prouincijs eius Prouinciæ contiguis commonefaciat, vt illum in foro fori ab excommunicatione, quam apostatando contraxit, absoluat, habitumq. Religionis illi tribuat.

Ses. 25. de Regular. Præterea, quoniam secundùm sacri Conc. Triden. Decretum non licet Fratribus à suis Conuentibus recedere, etiam prætextu ad suos Superiores accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati

cati fuerint; illi verò qui sine prædicto mandato in scriptis obtento reperti fuerint ab Ordinarijs locorum, tanquam desertores sui instituti puniantur: Idcircò decernitur, vt si cuipiam Fratrum accedendi ad suum Prouincialem necessitas occurrerit, hanc ipse suo Patri Guardiano manifestare debeat; qui quidem, si illũ ire iudicauerit expedire, faciat illi litteras obedientiales, & comitem exhibeat. Verum si hoc minimè expedire censuerit, & subditus nihilominus acquiescere noluerit; tunc Pater Guardianus duos, vel tres Fratres maturioris iudicij conuocet, quibus subditi petitionem coram ipsó proponat. His autem arbitrantibus subditum iustam ad Prouincialem accessus habere causam: Pater Guardianus ipsum dimittere teneatur: sin autem hanc illi concedere facultatem detrectauerit, à Patre Ministro Prouinciali plectatur. Si porrò subditus talem se causam habere prætenderet, quam indicare nollet; tunc ad Prouincialem supplex scribat, vt illi litteras obedientiales ipsum adeundi mittat, & illius responsum antequam abeat, expectet. Proficiscens verò absque huiusmodi litteris, pœnitentias continuò praescribendas faciat: Per octiduum absque vllius diei interpositione in terra genibus flexis cibum capiat, tribus ex his diebus solo pane, & aqua ieiunans, & caparronem tanto tempore deferat, quanto extra Monasterium sine litteris obedientialibus fuerit euagatus; ac tamdiu itidem actiua, & passiua voce priuatus existat.

Insuper quoniam nonnulli suos adeundi Superiores prætextu tàm intra Prouincias, quàm extra euagantur, dicentes se non apostatandi causa, sed suos Superiores conueniendi gratia egressos fuisse; Declaratur eiusmodi Fratres, qui sine litteris obedientialibus, & absque supradictis cautionibus sui Patris Prouincialis conueniendi prætextu discesserint, aut extra suam Prouinciam profecti fuerint, tanquam Apostatas absoluendos, & puniendos esse.

Volumus prætereà Patribus Prouincialibus nullo modo fas esse, Fratribus cum litteris obedientialibus Adm. R. P. Generalis, seu Adm. R. P. Procuratoris commeantibus facultatem euagandi per suas Prouincias dare: sed tantummodò illis in hac parte licere, quantum dictarum litterarum obediẽtialium vigore ipsis permittitur: & eò quidem magis eisdem Patribus

Pro-

Prouincialibus præcauendum erit, ne cuipiam Fratrum ex cõtiguis Prouincijs facultatem faciant, aut certè consensum præbeant ingrediendi, & peragrandi suas Prouincias. Qui autem contra hanc Constitutionem per Prouincias circumire, & vagari præsumpserint, se grauiter puniendos sciant. Hincq. subinde statuimus, vt Guardiani locorum, per quos huiusmodi Fratres permeauerint, & transierint, certiorem quàm primùm Adm. R.P.Generalem, aut Adm. R.P. Procuratorem faciant. Quicunque verò absque licentia Adm. R. P. Generalis ad aliquam Prouinciam contiguam transierit, tanquam Apostata habebitur, & punietur. Ad hæc Prælati illud præterea sibi enixè curandum proponant, vt perpetuò in sancta Religionis nostræ consuetudine stabiles persistant: vtique vt nemini omnium cuiusuis Fratrum sub quocunq; prætextu facultatem manendi extra Conuentus claustrum concedant; quinimmò certò sciant Decreta Clem. VIII. sacræ Congregationis, & D. N. VRBANI VIII. huiusmodi facultates nequaquam concedi posse, nisi ex grauissima causa, & à sancta Apostolica Sede approbanda. Quibus pariter & illud præterea compertum esse debet, Decreto itidem Clem. VIII. Conuentus clausuram perpetuò, ac diligenter seruandam esse, ac propterea à Superiore Ianitor constituatur, qui diligentia, ac morum grauitate maximè commendetur: is ianuæ custodiẽdæ semper assistat vsque adeò, vt absque illius interuentu aperiri nequeat: qui & idcircò ianuæ clauem secum semper deferet: & si hac in re negligens fuerit: volumus ipsum publica flagellatione in Refectorio, quoad Psalmus Miserere dicatur toties plecti, quoties in hoc deliquerit.

Postremò & illud admonendum operepretium duximus prænominatos Pontifices decernere, Fratres, qui absque Prælati licentia Monasterium fuerint egressi, graui pœna etiam carceris ad Superiorum arbitrium plectendos esse, atque eandem Ianitori subeundam esse, si sciens cuipiam Fratrum exeundi licentiam non habenti, egrediendi facultatem fecerit.

CAPVT

CAPVT III.

QVONIAM noster Seraphicus Pater totus Catholicus, & Apostolicus diuino spiritu illustratus Romanam Ecclesiam vt omnium aliarum Ecclesiarum Iudicem, & Matrem, peculiari semper reuerentia est prosecutus, vnde & in Regula mandauit, vt Clerici diuinum officium iuxta illius Ordinem, seu ritum, vel præscriptum persoluant; & in suo Testamento inhibuit ne vllo modo mutetur: & vt præterea sacri Conc. Decreto, & alijs Ecclesiasticis cõstitutionibus, quibus statuitur, & decernitur, vt Ecclesiastici Ritus, & Ceremoniæ à sancta Ecclesia approbatæ seruentur, neque vllo modo prætereantur, aut in alias commutentur, obtemperemus; statuimus, vt Fratres sub eodem vexillo in spiritu vniti, & ad eundem finem vocati, eosdem Ritus quo ad Missale, Breuiarium, & Calendarium obseruent, quos Sancta Romana Ecclesia vsu seruandos suscepit.

Statuentes insuper, vt Clerici & Sacerdotes, qui legitimo impedimento non fuerint distenti, simul ac primum pro diuino officio campanæ signum audierint; protinus ad chorum ad suas Domino mentes præparandas conueniant; & inibi constituti, cum deuotione, modestia, mortificatione, quiete, ac silentio recogitent se coram Deo astare, Angelicum in diuinis persoluendis laudibus munus obituros.

Diuinum autem Officium tàm Dominicum, quàm Deiparæ Virginis cum omni debita deuotione, attentione, grauitate, vocum vniformitate, spiritus consonantia, absque vlla vocis productione, aut variatione, debitis interuallis; voce nec nimium alta, nec multum demissa, sed mediocri dicatur; & Fratres quidem corde magis quàm ore Deo psallere contendant: ne illis exprobrari possit quod Saluator noster Hebræis crimini dedit: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me*. Isa. 29. Et si quidem Patres locorum Guardiani debitam in diuino Officio, etiam Beatæ Virginis maturitatem, interpunctionem, Matt. 15.

nem, & vocum vniformitatem seruandam non curauerint, & illud notabili properatione, ac celeritate festinantiùs dici fecerint, aut permiserint, illos Patres Prouinciales in visitatione, se publica in Refectorio disciplina cædere iubebunt: & in sequenti Capitulo Guardianatus dignitate omninò priuentur. Quibus pariter publicæ flagellationis, & depositionis à Guardianatu pœnis obnoxij sint illi Patres Guardiani, qui Fratribus, absq; legitima, & ineuitabili causa à Choro abesse permiserint. Fratres aũt, qui sine iusta, ac necessaria causa se Choro subtraxerint, singulis vicib⁹ se publicè in Refectorio flagellabũt eo tẽporis spatio, quo Psalmus Miserere recitetur, & nisi se emẽdauerint ieiunio in pane, & aqua puniantur. Atque eidẽ quoq; pęnitẽtiæ subijciantur, qui aliqua præpediti necessitate, ad Chorũ ire nõ valentes, nõ priùs quàm ab eius accessu se contineant, à Superiore licentiã, & benedictionem postulauerint: sed solùm postquam eiusmodi fuerint abusi libertate, se apud Superiores excusandos distulerint. Nec quicquam subditum iuuet, quòd tempore illius horæ canonicæ, quo illum Choro deesse contigerit, cum aliquo alterius Religionis Regulari, vel cum aliqua illustri persona, aut alio quouis sęculari detentus fuerit, cùm sęcularibus, & alijs Regularibus longè maiori futurum sit ædificationi, si Fratrem cum illis colloquentem ad diuini Officij signum protinus ab illis licentiam petere ad Chorum properare viderint; vel si vera & vrgens manendi cum illis extra Chorum necessitas contigerit, hanc illum sibi licentiam non arrogare, sed facultatem, & benedictionem à suo Prælato petere, & impetrare perspexerint. Hæc igitur constitutio sacrę Congregationis, & Summorum Pontificum Clem. VIII. & Vrbani VIII. Decretis innixa inuiolabiliter obseruetur.

Sac. Congr. Clem. 8. Vrb. 8. pro refor. Reg.

Laici ad Chorum conueniant ad principium Vesperarum, Completorij, & Matutini; & quo tempore canitur Te Deum laudamus, vel Psalmus Miserere. Et facta communi præparatione, inchoatoq. officio secedere poterunt vel in Ecclesiam, vel in alium conuenientem locum ad suum & ipsi officium iuxta regulæ præscriptum, persoluendũ: qui præterea & omnibus diebus festis ad Vesperas conueniant. Qui autem secundũ hãc Constitutionẽ ad Chorũ non conuenerint, & ipsi quoq; semper pro singulis vicibus se corã Fratribus in refectorio per Misere-

re

re disciplina cædant, ieiunio in pane, & aqua deinceps plectẽdi, si contumaces in huiusmodi transgressione perseuerauerint; Et iuxta antiquam consuetudinem sua quinque officia pro benefactoribus defunctis persoluent, primum quidem circiter festum S. Mariæ Magdalenæ: alterum autem circa festum S. Michaelis mense Septembri: tertium verò circiter festum S. Francisci: quartum præterea in Aduentu: & quintum denique in Septuagesima.

In Choro autem singulis quibusquè anni mensibus dicatur Nocturnus pro Defunctis: at in Aduentu, & Quadragesima singulis hebdomadibus: Et in Quadragesima præterea statutis diebus secundùm Breuiarij Rubricas dicantur Psalmi Graduales, & septem Psalmi Pœnitentiales cum Litanijs, & tàm in Missis, quàm in diuinis officijs nihil aliud dicatur, nisi quod in Missalibus, & Breuiarijs continetur, debitis adhibitis ceremonijs.

Et quoniam celebrandi ministerium est summopere diuinũ; statuimus vt iuxta Tridentini Conc. Decretum nullus Clericorum, qui minor sit duobus, & viginti annis, Subdiaconatus ordine initietur: vti etiam neque Diaconatus Ordine ante tertium & vigesimum annum, neque Sacerdotio ante vigesimum quintum: Et ad Sacerdotium quidem nemo promoueatur, nisi prȩter integritatem, ac probatos mores, mediocri præditus sit intelligentia: vtique vt cùm celebrat, verba, quæ dicit, rectè, ac probè intelligere, & proferre sciat, & valeat. Et absquè licentia Adm. R. P. Generalis, non promoueatur nisi saltẽ octauum Religionis annum inchoauerit. Qui autem prius fuerint initiati, nullum Sacerdotij munus exercere possint. *Sess. 23. c. 12. de reform.*

In dimittendis autem Clericis ad suscipiendos ordines Patres Prouinciales sacræ Congregationis Tridentini Cõcilij Decretum seruãdum curent: nimirum vt eos ad eius Diœcesis Episcopos mittant, in qua suæ habitationis Monasterium est collocatum; ad alios autem non mittantur, nisi euentu quo Diœcesani Episcopi vel absentes fuerint, vel Ordinationes habere noluerint; tunc siquidem illos ad alios Episcopos mittere poterunt: Ad alios verò Episcopos mittẽtes expressam in suis obedientialibus litteris de Diœcesani Episcopi absentia, vel alio eius impedimento faciant mentionem.

In reg. S. Bene.c.19 Porrò autem Clerici, & Sacerdotes non admodum eruditi, quæ sibi publicè in Missa, & diuino Officio legenda fuerint, prælegant, ne auditorum aures in diuinarum rerum iniuriam offendant, & contra se præterea sanctos Angelos, diuinis laudibus adstantes, irritent.

Sacerdotes verò hortamur, ne vllam in celebrando alicuius humanæ gratiæ, vel gloriæ, aut cuiusuis alterius rei tẽporalis rationem habeant; sed cum simplici, puro & mundo corde diuino tantùm, prospiciant honori, ob meram dumtaxat charitatem, & cum omni itidem humili reuerentia, fide ac deuotione celebrantes; Et sese insuper quantum sua fragilitas patitur præparent, cùm in diuinis litteris maledictus denuncietur qui *Iere.48. secun.70.* opus Dei negligenter fecerit. Qua propter Sacerdotes, qui in sanctæ Missæ celebratione contra sanctam nostræ Religionis consuetudinem tàm in voce, quàm in ceremonijs vsque adeò properauerint, vt insigni leuitatis, prostratæq. deuotionis inurantur nota; à PP. Guardianis in publico Refectorio corripiantur, & si se quidem non emendauerint, disciplinarum, ieiuniorum in pane & aqua, & similium iuxta excessus qualitatem pœnitentiæ adijciantur. Et Pater quidem Prouincialis, qui huic rei prospicere neglexerit, grauioribus pœnis ab Adm. R. P. Generali mulctetur.

Sacerdotes porrò nullo ad celebrandum cuiusuis terrenæ rei præmio ducantur, in hoc IESV Christi summi Sacerdotis exemplum sectantes, qui absque vllo suo temporali præmio supra crucem semetipsum pro nobis obtulit: atque hinc potiùs cognoscant se propterea maiori cum Deo obligatione obstringi. Et si nonnũquam contingat pecuniarias eleemosynas pro Missis offerri, has Fratres in tertiæ personæ manum deponi non iubeant, sed in manu eorundem, qui eas offerunt, relinquant: ad quos tamen Fratres recurrere non possunt, nisi in illis casi- *c.exijt.de verb. signif.* bus, propter quos iuxta Nicolai III. & Clementis V. declarationem fas est illis ad amicos spirituales recurrere, nempè pro necessitatibus veris, certis, determinatis, præsentibus, vel im- *Cle.exiui.* minentibus; quibus mendicitatis studio cõsuli, & prospici nequeat. Quapropter & illud hoc loco declarandum consultò duximus Religionis sensum ab eius primordijs ad hanc vsque memoriam opere semper obseruatum, & comprobatum illum

esse

esse propter pitantiam, obsonijue gratia, cùm hoc in rebus necessarijs non numeretur, ad huiuscemodi eleemosynas recurrere nequaquam licere.

Si Missarum eleemosynę in manu sunt eorum, qui eas dicendas curarunt, ad ipsos non recurratur Missarum dictarum ratione, aut respectu; sed tanquam ad spirituales amicos eo planè modo, quo & ad alios, conditionibus superiùs expressis contingentibus recursus haberi solet. Nullum porrò Fratrum, qui Prælatus non sit, Missas dicendas, vel pro Missis eleemosynas absque sui Superioris licentia recipere posse volumus. Hanc verò licentiam Superior nemini generatim largiatur; sed speciatim & singillatim quoties in particulari fuerit opus; & seruatis conditionibus superius commemoratis. Quando verò Patres Guardiani eiusmodi eleemosynas pro dictis necessitatibus sunt accepturi, à Patre Prouinciali licentiam obtineant, vel hoc in particulari libro scribant ab ipsis deinceps eidem in Visitationibus significandum. Si quis autem non obtemperauerit, pœnis in quarto capite ad pecuniam absque necessitate, & licentia directè, vel indirectè recurrentibus præscriptis subiaceant.

Si porrò aliquandò contingat, vt is, pro quo dictæ sunt Missæ, denarios seu pecunias pro eleemosyna in Fratrum vsum soluendas offerre; & cõsensum à Superiore vel à Fratribus, exquirere. Statuimus, vt tàm Superior, quàm Fratres illius mandato, respondeant Missas quidem ab ipsis gratis, & Dei amore absque vlla alicuius eleemosynæ expectatione dictas fuisse; ipse verò quod illi Deus inspirauerit faciat: Si quis autem illi directè, vel indirectè quicquàm præsertim propter pitantiam contra præsentem Constitutionem suggesserit, hunc pro singulis vicibus publicæ in Refectorio flagellationi subijci, & grauiori etiam pęnitentia penes delicti qualitatem plecti, volumus.

Quando in Missarum celebratione adhibetur incẽsum, Missæ Clericus ministret: Diebus porrò festis tàm Clerici, quàm Laici ad omnes, quas poterunt Missas audiendas conueniant: & quotidie (quoad eius fieri poterit) Conuentuali Missæ interesse studebunt. Et omnes præterea hortamur, vt frequentem in Missis, officijs, & orationibus memoriam habeant rogandi

pro

pro omnibus fidelibus non solùm viuis, sed etiam defunctis, eo præsertim quòd Seraphicus Pater specialem in Regula huiusce rei mentionem facit.

Hortamur insuper Fratres, qui Sacerdotibus celebrantibus intererunt, vt cum summa reuerentia, & Angelica mente illis diuinis Mysterijs coram Deo assistant, ipsi quoque spiritualiter celebrare, communicare, refici, & illud gratissimum Sacrificium cum ipsis Deo offerre studentes.

Quoniam verò Oratio sancta est nostra spiritualis Magistra, atque omnis veræ virtutis Mater, & Nutrix, vt deuotionis spiritus, præ cunctis alijs rebus desiderabilis in nobis non minuatur, aut tepescat, vel remissior fiat: sed perpetuò super sacro cordis nostri altari ardens, magis magisq., vt noster Seraphicus Pater exoptabat, accendatur: etiam si verus & spiritualis Frater Minor iugiter interius oret, nihilominus statuimus, vt ad hoc duæ particulares horæ deputentur: Altera quidem post Completorium per totum annum: Altera verò à Resurrectionis Dominicæ solemnitate vsque ad Natiuitatis Deiparæ festū post Nonam immediatè, diebus ieiuniorum exceptis, in quibus post sextam fiet. A dicto verò Deiparæ festo vsque ad Pascha post Matutinum.

Porrò autem Ianitores sub flagellationis pœna ab ipsis publicè in Refectorio per Miserere subeunda, & toties iteranda, quoties in hoc deliquerint, caueant ne orationis tempore quempiam Fratrum euocent, nisi priùs à Superiore licentia obtenta. Quam quidem abscedendi ab oratione licentiam Patres Guardiani non dabunt, nisi graui vrgente necessitate, quæ nullam patiatur moram. Omnes autem Superiores, qui absque huiusmodi vrgenti necessitate Fratribus vel ab Oratione abesse, vel abire seu discedere permittent, à Patribus Prouincialibus in Visitationibus publicæ disciplinæ flagellatione in Refectorio plectantur. Et nisi se correxerint in sequenti Capitulo Guardianatus officio priuati existant. Similiter Fratres, qui absque legitima causa, à Superiore num talis reuera sit dijudicanda, ab Oratione aberunt, vel abscedent, toties suæ transgressionis pœnam disciplinæ flagellatione coram Fratribus in Refectorio per Miserere luent, quoties in illam inciderint: Quibus præterea, si se ad meliorem frugem non receperint, ieiunium in pane, & aqua adijciatur. De-

Declaramus, legitimas absentiæ, vel discessus ab Oratione, aut à Choro causas nequaquam censeri hortos colere, habitus suere, capillos tondere, vel quid simile efficere. Qui Refectorij, vel coquinæ curam, & ministerium, seu administrationem gerunt, quæ sui sunt muneris ad Fratrum refectionem, ea temporis anticipatione (quoad eius fieri poterit) parare contendant, vt ab Oratione, nisi per vltimam quartam illius partem vel circa discedere non cogantur: secus autem facientes, flagellatione, & ieiunio vt supra mulctentur, & supra itidem præscripta pœna plectantur Patres Guardiani, vel alij Superiores, qui hanc Constitutionem obseruandam non curabunt, præter strictissimam rationem, quam Christo Domino nostro in mortis momento sunt reddituri.

Meminerint porrò Fratres, orare nil aliud esse, quàm corde Deum alloqui: quocirca reuera non orat, qui ore dumtaxat cũ Deo loquitur: atque idcirco vnusquisque mentali magis orationi, quàm vocali operam dare, & secundùm Christi optimi Magistri doctrinam, in spiritu, & veritate æternũ Patrem adorare enitatur, solicita cura studentes longè magis mentem illuminare, & affectum incendere, quàm verba depromere. Ante Orationem quidem, quæ post Matutinum, & Nonam, & ieiuniorum diebus post Sextã fieri solet, Litaniæ dicantur, quibus omnes Sancti ad Deum pro nobis exorandum inuocentur; Ante Orationem verò, quæ post Completorium fit, dicantur Litaniæ Deiparæ Virginis, & in Choro nihil aliud addatur, vt Fratribus plus otij pro priuata, & mentali Oratione longè fructuosiori, quàm vocali suppetat.

Et quoniam Pater noster Seraphicus totus Catholicus voluit (vt in Regulæ principio, & fine constat) vt speciali Summo Pontifici, vtpote IESV Christi Dei nostri Vicario, & omnibus similiter Prælatis, & Sacerdotibus exhiberetur reuerentia: Statuimus, vt præter communes Orationes, quilibet Fratrum in suis priuatis, & particularibus diuinam imploret bonitatem pro fælici militantis Ecclesiæ statu, & pro sua Sanctitate, vt illi gratiam largiatur, qua omnia, quæ suæ Diuinæ Maiestatis honori, & gloriæ, & Christiani Populi saluti, atque Hæreticorum, & Infidelium conuersioni sunt conducibilia, euidenter scire, efficaciter vælle, & nauiter operari valeat. Idipsum præstent

pro Eminentissimis DD. Cardinalibus, Reuerendissimis Episcopis, & Prælatis eidem Pontifici immediatè subiectis: necnon pro Imperatore, pro omnibus Regibus, & Principibus Christianis, & pro quauis persona, pro nostris præsertim Benefactoribus, quibus maiori sumus obligatione obstricti.

Insuper scientes silentium esse fidelem concepti spiritus custodiam: & iuxta S. Iacobi doctrinam, Vanam esse illius Religionem, qui linguam suam non refrenat: Statuimus, vt quantum humana fragilitas patitur, Euangelicum semper obseruetur silentium, cùm certum sit, nos (vt infallibilis Veritas IESVS Christus ait) de omni verbo ocioso reddituros esse in die Iudicij rationem. Profectò tanta est diuinorum beneficiorum in nobis diuino cultui consecratis, & dedicatis copia, vt non paruo crimini adscribatur, si verbum aliquod ab ore nostro de rebus mundi absque necessitate excidat.

Iac. 1. *Matth. 12*

Et quò quidem ad Regulare silentium tanto studio, & affectu à Summis Pontificibus commendatum; perpetuum sit in Ecclesia, in Choro, & in Dormitorio, quibus locis nemini absque necessitate loqui liceat: & si quandoq. opus sit loqui, id fiat submissè, & cum breuitate. In Refectorio autem à primo refectionis signo quoad gratiæ actæ fuerint; & vbique generatim à Pascha quousque oratio noctu fieri incipiat post prandium hora congruenti fiat silentij signum, & obseruetur donec post Nonam absoluta sit oratio. Et à quarta itidem, & vigesima hora vsque ad Primæ sequentis diei signum custodiatur silentium. Mentis porrò nostræ, & intentionis non est hac Constitutione velle Fratribus inhibere, ne æstiuo tempore fas illis sit etiam post vigesimam quartam horam extra Cellam in Claustro, vel in horto toto illo tempore commorari, quod corporis refrigerationi sufficiat ad conciliandum soporem, capiendamq. quietem, quæ necessaria sit, vt ad ex vrgendum matutino tempore ad diuinas laudes persoluendas promptiores sint: id quod quidem silentij custodiæ nequaquam repugnat; sed vna cum illa consistere potest. Quemadmodum itidem neque intentio, & voluntas nostra est, vt in diebus, qui ieiunio non sunt dicati, Fratres silentij obseruantiæ ante vnius horæ post cœnam fluxũ obstringantur. Propterea curæ Superiori erit, vt cœna peracta, Sacrista adhibita clepsydra seu puluerario horologio tantùm

C. cum ad monast. de sta. mona. §. in oratorio.

ū m temporis dimetiatur, quod vnius horæ fluxu terminetur: & illo elapſo faciat ſilentij ſignum, atque idipſum poſt prandium per totum annum ſeruetur. Ex ſigni autem pulſatione, & documento, ſciant Fratres horam ſibi à Religione permiſſam, vt ſimul in religioſa conſuetudine verſari queant, iam eſſe elapſam. Hortamur autem Fratres, ne priſcam, & ſanctam Religionis conſuetudinem prætermittant, nimirum, vt poſt prandium, & cœnam B. Virginis officium, quando in Choro non dicitur, vel aliquam aliam deuotionem recitent. Qui porrò regulare ſilētium perfregerint, quinquies Pater noſter, & Aue Maria in Refectorio brachijs in crucis ſimilitudinem expanſis dicant; & ſi ſe non emendauerint, ſe in Refectorio diſciplina cædant: Et Patres præterea Guardiani, qui ſilentium iuxta præſcriptum non ſeruabunt, aut obſeruandum non curabunt, vel reſpectiuè præſcriptas pęnitentias executioni mandari non ſtudebunt, à Patribus Prouincialibus eiſdem pœnitentijs ſubijciantur.

Admoniti porrò ſint Fratres, vt cum ſæcularibus verſantes, rerum ſæcularium ſermones, ſtatum noſtrum minimè decentes, omittant: & cum ipſis de rebus ſpiritualibus, & ad ædificationem ſpectantibus loqui aſſueſcant. Quapropter tàm Guardiani, quàm ſubditi, qui hac in re deliquerint, à Patre Prouinciali publica repræhenſione, & diſciplinæ flagellatione acriter puniantur. Fratres autem quandocunq; illos inter ſe habere ſermonem contigerit, operam dare ſtudeant, vt ſemper & vbique de ſerijs rebus, ac ſpiritualibus colloquantur, idq. præterea religioſè ſine clamore faciant, cùm huiuſcemodi vitium Religioſas perſonas quàm maximè dedeceat, & admirationi, & ſcandalo occaſionem præbeat. Quare Superiores hoſce clamores flagellationibus, & ieiunijs in pane & aqua corrigendos, & plectendos curent.

Præterea ne corpus noſtrum contra ſpiritum calcitret, ſed illi in omnibus obſequatur, & in acerbiſſimæ præterea Paſſionis, ac præſertim ſæuiſſimæ flagellationis dulciſſimi Saluatoris noſtri recordationem: Statuimus, ne ſolitæ flagellationes feria 2. 4. & ſexta, etiàm ſi magnæ occurrant ſolemnitates, omittantur: fiant autem poſt Matutinum, niſi fortè frigus nimis intenſum fuerit, tunc enim Veſpere faciendæ ſunt. In maiori ve- *Ioan. 19.*

rò hebdomada singulis noctibus fiant: sese autem Fratres flagellantes corde pio Christum Dei Filium ad columnam vinctũ in memoria repetant, aliquam in semetipsis suorum dolorũ particulam experiri curantes: Eo porrò temporis dicant Psalmos Miserere, ac De profundis, Antiphonam Christus factus est pro nobis obediẽs cum Oratione Respice: deinde verò Salue Regina cum versiculo, & quinque deuotis Orationibus, & tandem Pater noster, & Aue Maria.

Insuper ad omnia, quæ altissimam Paupertatem, ac spiritualem quietem, & tranquillam humilitatem lædere possunt, fugienda, & ad pacem cum cæteris Clericis, & Sacerdotibus seruandam, atque ad omnem denique impuritatem, quæ temporis progressu nostram cõtaminare posset Congregationem, euitandam: Statuimus, ne defunctorum cadauera in nostra loca ad sepulturam recipiantur, nisi fortè tales fuerint, quibus propter paupertatem qui sepulturæ beneficium exhibere velint, non inueniantur: tũc siquidem charitatis viscera sunt illis aperienda, & cum Ordinariorum licentia recipiendi.

Inhibemus pariter ne sepulchra pro sæcularibus in nostris Ecclesijs construantur: Nostrorum autem Fratrum sepulturæ honestus aliquis locus propè Ecclesias designetur; & ad hunc finem (vbi commodè fieri potest) sacellum Ecclesiæ coniunctum, aut propinquum cum Altari ad celebrandum Missam, & cum sepulchro pro Fratribus morituris ædificetur: Sepulchrum porrò ea ratione disponatur, vt nullo modo sub Altari extruatur. Fratres autem qui sæculares infirmos visitauerint, caueant, ne non solùm illos ad eligendam in nostris locis sepulturam inducant; sed neque etiam hac ipsa de re rogati, illis vllo modo absque Adm. R.P. Generalis licentia consensum præbeant: quam sanè facultatem neque ipse concedere valeat, nisi in generali Capitulo, & cum Patrum Diffinitorum generalium consensione. Et ne huiusmodi res sua nouitate ijs, qui iustas, ac legitimas eius causas ignorant, scandali occasio sit, instruendi erunt, & æquum & consentaneum huius sanciendæ Constitutionis consilium, & rationem edocendi.

Cùm quis nostrorum Fratrum supremum vitæ diem egerit, cæteri pro charitatis affectu ipsius animam Deo commendare sint soliciti, & quilibet sacerdos illius Prouinciæ, in qua vita fun-

functus fuerit, sacrum pro ipso celebret Clerici autem integrum Defunctorum Officium recitent: Laici verò centies Pater noster dicant. Summo autem Pontifice decedente, aut Eminentissimo Domino Protectore, vel Admod. R. P. Generali, Missæ, Officia, & Pater noster tertiò iteranda erunt, & Officium insuper nouem Lectionum in Choro dicendum. Præterea quotiescunque omnia nostra Capitula tàm generalia, quàm prouincialia celebrabuntur, cuncti Sacerdotes, qui illis interfuerint, statuta aliqua die pro omnibus nostris Fratribus, & etiam Benefactoribus defunctis Defunctorum Missas, & Officium in Choro dicent. Et quoniam Patris nostri Francisci intercessiones præcipuè in die, & infra Octauam sui Festi, sunt efficacissimæ; Idcirco statuimus, vt postridie ipsius diei Festi, si dies illa non fuerit impedita, in vniuersis nostris locis Anniuersarium pro animabus omnium nostrorum Fratrum defunctorum fiat; dicendo in Choro Vesperas, & Nocturnos nouem lectionum, & in Ecclesia omnes Missas præter Conuentualem, quæ secundum illius diei Officium celebrabitur. Et Laici quidem dicent centies Pater noster, ac toties itidem Aue Maria. Denique & singuli Sacerdotes singulis hebdomadibus pro cũctis nostris Fratribus defunctis semel sacrum faciant, aut saltem collectam dicant.

Porrò autem pro seruanda Ceremoniarum tàm in Choro, quàm in quocunque alio loco vniformitate Sancti Bonauenturæ doctrina, & antiquorum Patrum nostrorum Institutiones legantur; & ad Seraphici Patris nostri mentem meliùs percipiẽdam, Chronicæ, Conformitates, nostri Annales, & alij Religionis libri præ manibus habeantur.

Quoniam verò abstinentia, austeritas, & seueritas præcipuè in Sanctis commendatur: & nos quidem Christi Domini nostri, & Patris S. Francisci exemplo arctam elegimus vitam: hortamur Fratres ad quadragesimalia ieiunia facienda, quæ ipse Pater noster facere consueuerat (tametsi pœnitens Frater semper ieiunet) Ieiuniorum autem diebus immodicæ, & superuacaneæ non fiant collationes, sed rigor in nostra Religione vsu receptus, & seruatus custodiatur; neque permittatur vt in ipsis collationibus, vbi fructus parari possunt, panis exhibeatur: sin autem fructuum inopia, & indigentia fuerit, panis quidem sup-

peditetur; sed in moderata quantitate: nullo verò modo simul panis, & fructus adhibeantur. Feria quarta carnes non comedantur: & vt prætetea ventris insatiabilitati terminus præfiniatur, in mensa vnicum tantum pulmenti genus apponatur: Cùm verò ieiunij tempus fuerit, coctum, aut crudum acetarium addi poterit. Cogitent autem Fratres parum quidem, sat esse ad sublevandam necessitatem; nihil verò sufficere ad explendam, satiandamq. sensualitatem.

Et quoniam præterea mens, & intentio nostri Seraphici Patris Francisci fuit, ab ipso, & ab omnibus nostris priscis Patribus opere, & effectu expressa, vt cuncta nostra ieiunia cum quadragesimalibus cibis perficerentur, atque id quidem in nostra Religione ab eius primordijs vsque in præsentem diem fuit semper inuiolatè seruatum: Idcirco statuimus, vt in nostris ieiunijs siue ab Ecclesia, siue à Regula præceptis, hæc sancta, & prisca seruetur consuetudo, eoq. subinde tempore neque intra nostra Monasteria, neque extra, oua, caseus, butyrum, vel lacticinia edantur, præterquàm in ijs locis, in quibus propter olei penuriam à Sancta Sede fuit permissum, aut antiqua consuetudine introductum, vt butyrum in solius condimenti vsum adhibeatur.

Et vt insuper iuxta sanctissimi Saluatoris nostri doctrinam,
Luc. 21. corda nostra non grauentur crapula, & ebrietate; semper autē mentes nostræ syncerae sint, ac sensus mortificati: Statuimus, ne in mensa vinum firmum, valens, & robustum, nisi priùs aqua moderatè temperatum apponatur: id quod quidem & pro sensualibus delicijs adhuc habendum est, cùm Noster Sanctissimus Pater (vt Seraphicus Sanctus Bonauentura narrat) nec aquam quidem quantum sat esset ad mitigandum, sedandumq. sitis ardorem bibere auderet: qui & propterea dicere consueuerat, difficile esse necessitati satisfacere, quin simul & sensus oblectamento indulgeatur.
Psal. 68. Fratribus profectò res dulcis, & suauis videbitur, si mente contrectauerint, Domino nostro IESV Christo
Matt. 27. Marc. 13. cruci affixo aquam fuisse negatam, & acetum ac fel fuisse
Ioan. 19. propinatum: Et Sanctus Hieronymus scribit: Monachos suo
Epist. 22. tempore quantumuis infirmos, & imbecilles aquam bibere
ad Eustoch. de custod. Virg. vsu habuisse, coctum verò quicquam comedere ab ipsis luxuriæ adscriptum fuisse: In mensa præterea iuxta Pontificum decreta,

&

& sanctam nostræ Religionis consuetudinem, nemini præter communes cibos cæteris appositos quicquam singulare vescẽdum afferatur, exceptis duntaxat infirmis, itinerantibus, senibus, & valdè imbecillibus. Ministri verò, qui huiusce Constitutionis transgressores extiterint, pro singulis vicibus publicæ disciplinæ flagellatione in Refectorio pœnam luant.

Recordentur porrò Fratres, quibus communium eleemosynarum commissa, concreditaq. est dispensatio, si has non ad rectam Prælatorum Religionis mentem, sanctamq. eorum intentionem, & secundùm iustitiæ distributiuæ leges, sed pro suis peculiaribus, & particularibus affectibus distribuerint, semetipsos quasi Dominos earundem eleemosynarum constituere, & consequenter quodammodo fieri proprietarios. Circa quam quidem rem PP. Superiores, & Confessarij valdè cauti, prouidiq. esse debent: neque vel minimum quidem qui in hac parte peccauerint, sibi suffragari putent, quòd res singulares, quas nonnullis priuatim comedendas afferunt, à sæcularibus cognatis, amicis, ac beneuolis oblatæ, donatæq. fuerint; quoniam licet in huiuscemodi casu, indulgeri possit, vt nonnunquã moderata quædam fiat ciborum distributio, aduenis præsertim; id tamen frequenter nequaquam faciendum est. Ordinariè quippe, ac regulariter etiam res particularibus Fratribus missæ, vel oblatæ, Fratrum Communitati secundùm iustitiæ distributiuæ leges distribuendæ sunt iuxta illud sacrorum Canonum axioma. *Quicquid acquirit Monachus, acquirit Monasterio*: Et illi quidem Fratres, qui singulare aliquid, quo priuatim in cibum vtantur per seipsos ad mensam attulerint, nihil ea die iuxta Pontificum decreta, alimenti percipiant, nisi panem & aquam. *Clem. viij & Vrb. 8. pro refor. regular.*

Si quis porrò Fratrum à vino, carnibus, ouis, & alijs cibis abstinere, vel plus solito ieiunare voluerit; illum Prælatus non impediat, nisi id ipsi in detrimentum cedere animaduerterit; quinimmo ipsum vt in incępto permaneat, ac prosequatur hortetur, dummodo in communi mensa vnà cum alјs comedat, atque eorum, quæ à Communitate sibi possint suppeditari, sit contentus; neque res particulares sibi pro sua deuotione quærendas, parandasq. velit. In paupertatis verò signum nostræ mensæ mappa nõ sternantur, sed tantùm mappula singulis Fratribus apponatur.

Ca-

Caueant autem Fratres, ne quempiam sæcularium ad communem Fratrum mensam admittant, nisi cùm id absque scandalo, & graui admiratione euitari non posset, & tunc secundùm consuetudinem in mensa legatur, & nullo modo silentium relaxetur, & satis superq. muneri suo se fecisse putent, si eos moderatè pro statu nostro exceperint, & tractauerint. Ille porrò Superior, qui silentium sua dispensatione dissoluerit, in Patris Prouincialis visitatione se publicè in Refectorio flagellet, & quoties in hoc peccauerit, toties cum solo pane, & vino ieiunans pœnitentiam agat, à qua quidem nullam possit dispensationem habere.

Nullus autem Fratrum aliquam refectionem tàm intra, quã extra nostros Conuentus absque Prælati, vel Superioris licen-
Cong. Camel. S. Eliæ par. 1. const. c. 9. §. 7. Cassi. lib. 4. c. 16 tia, & benedictione sumere præsumat: Meminisse namq. debemus in omnibus Religionibus, quę Regularis disciplinæ obseruantiam profitentur, tàm comedere, quàm bibere extra statutas communis refectionis horas cum magna seueritate esse inhibitũ; hinc proinde nobis obnixè curandum est, vt sancta Religionis nostræ consuetudo perpetuò conseruetur, vtiq; e vt neque aqua extra solitas refectionis horas absque Superioris licentia, ac benedictione permittatur bibenda: Quamobrem qui
Nic. cõst. par. 1. c. 6 tex. 1. S. Aug. in 2. reg. c. 3 S. Ben. reg cap. 51. Refectorij, & Coquinæ curã habent, necnon & alij Monasterij officiales clausas teneãt Officinas, & claues secũ sẽper deferant, sub pœna toties in Refectorio per Miserere se flagellandi, quoties hanc Constitutionem fregerint: Cui similiter pœnæ obnoxij sint Fratres, qui vinum, panem, vel aliud quippiam comestibile in cella habere deprehensi fuerint.

Et quoniam qui mundanis festis oblectatur, facilè inquinatur, statuimus ne Fratres ad festa eant, nisi diuini Verbi prædicandi gratia, ad Christi nostri vnici Magistri exemplum, qui ad Festum inuitatus ire detrectauit, deinde verò à seipso ad prædicandũ perrexit; nimirum quòd secundum Paulum Apo-
1. Cor. 4. stolum *spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus:* Et propterea tale de seipsis præbere exemplum studeant, vt per ipsos Deus glorificetur.

Statuimus præterea ne Fratres à Cõuentu nisi cum socio, Di-
Matt. 6. Luc. 10. scipulorum Sanctissimi Domini Nostri exemplo egrediantur, & si eos longiùs proficisci contigerit, iter nequaquam ineant nisi

cum obedientialibus sui Superioris litteris, prouinciali, seu locali sigillo munitis; atque idcircò singula nostra Monasteria iuxta priscam Religionis consuetudinem proprium habeant sigillum. Itinerantes autem in via inuicem non segregentur, neque simul contendant, aut altercentur: sed vnusquisque cum omni charitate, & humilitate ad Christi Domini Nostri exemplum, socio, & comiti spiritaliter obedire, & seruire conetur, secum cogitans se cum illo fraterna in Christo necessitudine copulari; & si opus fuerit, sese mutuò fraternè admoneant, & corrigant, & si nulla ex admonitione sequatur emendatio, alter alterius delicta, & errata Prælatis referat, & significet. *Luc. 2. Matt. 20. & 27. In Reg. S. Aug. & in expos. Hugo. de de S. Vict. sup. eand. c. 7.*

Et quoniam Sanctus Pater Franciscus in suo Testaméto narrat sibi à Domino fuisse reuelatum, vt salutantes personas, ad Christi exemplum dicere debeamus: *Dominus det tibi pacem:* statuimus, vt Fratres hac Euangelica vtantur salutatione. Cumq. præterea veri Fratres ab optimo suo Patre viua fide pédere debeant; statuimus, vt iter agentes, præsertim inter gentes, ac nationes domesticas, familiares, ac deuotas, & loca, ad quæ pergunt longo non fuerint dissita interuallo, nullum secũ, nisi sola ducti necessitate secundum Christi consilium, deferant commeatum seu viaticum, omnem sui curam, & prouidentiam in Deum iactantes, qui non solùm animalia, sed eos etiam qui illum semper offendunt, pascit. *Matt. 10. Marc. 6. Luc. 9.*

Item statuitur, ne in Ciuitatibus, Oppidis, & Vicis, quibus propinqui sunt nostri Conuentus, extra ipsos Conuentus absq; magna necessitate dormiendi, comedendiue causa consistant, & commorentur: & vbi prætereà sunt Monasteria, nemo sub pœna publicè se flagellandi per Miserere aliquod negocium tractare præsumat, nisi se priùs eius loci Patri Guardiano, vel Superiori præsentauerit. Vt etiam præterea nemo absque Superioris localis licentia sæcularium tametsi consanguineorum domus cuiusvis negocij agendi, aut cõmedendi, vel dormiendi gratia adire audeat: quam tamen licentiam Prælatus facilè non concedat: atque idipsum intelligitur cùm è Conuentu discediturː Qui autem secus egerit, ieiunio panis, & aquæ, & flagellatione in Refectorio plectatur.

Cùm porrò Fratres ad nostra peruenerint Monasteria, vt veri æterni Patris Filij, Ecclesiam priùs visitent, & facta ibi ali-

qua

qua reuerentia, & oratione, se deinde Prælato præsentent, cui & obedientiales litteras ostendant: Similiter Fratres eiusdem Conuentus, quando egrediendum illis erit, præter licentiam, etiam benedictionem à suo Prælato genuflexi accipiant; atque idipsum præstabunt cùm in Conuentum reuertentur. Et omnes Fratres vanos, & superuacaneos discursus euitare contēdāt.

Statuimus autem, vt omninò à cunctis Fratribus Sacræ Cōgregationis, & Summorū Pōtificum Clem. VIII. & Vrb. VIII. Decretum inuiolabiliter obseruetur; nimirum, vt nullus à Cōuentu egredi audeat, nisi cum socio, & licentia singulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à Superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causa, propter quam Frater tàm aduena, quàm eius familiæ egredi prætendit, cognita & probata: Causa autem ab ipso tanquam vera, & legitima minimè probata, Frater domi omninò maneat: & si Superiores huic Constitutioni non obtemperauerint, volumus vt Patres Prouinciales in Visitationibus eos publica flagellatione per Miserere in Refectorio mulctent: & si in proposito absque emendatione persstiterint, in sequenti Capitulo Guardianatu priuati omninò existant. Et quoniam innumera, & grauissima damna, & incommoda Religionibus ex nimia Superiorū facilitate in cōcedenda exeundi è Conuentu licentia obueniunt: propterea in hoc potissimùm eorum conscientias grauiter oneramus, illos obtestantes, se districtissimam in mortis articulo de huius constitutionis transgressione Christo Domino reddituros esse rationem; & è memoria quidem illis non excidat illa Decreti Pontificij clausula perpetuò obseruanda, nempè. *Licentiæ verò generales exeundi nulli omninò concedantur.*

Cōc. Chalced. *Cōc. Tarrac.* Et vt insuper omnes malorum, quæ hac ex parte oriri possint (quoad eius fieri poterit) amputentur radices, sacrorum Conciliorum Chalcedonensis, & Tarraconensis sanctionibus inhærentes, volumus vt omnes nostri Fratres tàm Prælati, quā subditi sese omninò ab omnibus sæcularibus negocijs qualiacumque fuerint, subtrahant, & vt non solùm non se vltrò in illa ingerant; sed nec etiam rogati vllo modo illa amplectantur: nisi fortè alicuius personæ omni humano subsidio destitutæ, aut alicuius magni Benefactoris casus acciderit: in quo etiam Superioribus magna adhibenda est circumspectio: præcauendum

dum ſiquidem eſt, ne ſub pietatis prætextu nos decipi permittamus: quia pietas nimis crudelis foret, ſi amplexu negociorum ſeculi (quod iam penè totum in ſuis negocijs, & curis ad nos confugit) chori, & orationis omiſſioni, innumeriſq. alijs incommodis ianua aperiretur. Atque eandem inſuper ob cauſam cunctis Fratribus noſtris præcipimus, ne vllo pacto abſque Superiorum maiorum licentia in ſcriptis, ſeſe in magnorum Principum negocia ingerant, & intrudant. Qui verò in hoc deliquerit grauibus pœnis ab Adm. R. P. Generali plectatur: Et ne huiuſce rei nouitas, aliquam pariat admirationem, vel ſcandalū, aperiendæ erunt ſæcularibus cauſæ, & rationes, quibus ad hanc ſanciendam conſtitutionem compellimur, pro certo illis pollicendo, nos ipſis nequaquam noſtris orationibus, quibus illorum negocia diuinæ commendemus Prouidentiæ defecturos eſſe.

Quo verò ad conſanguineorum, & cognatorum, & maximè parentum Fratrum negocia, quæ pariter Religioſis magnæ moleſtiæ, notabiliſq. detrimenti eſſe ſolent; cùm non deſint, qui vt cognatis in eorum rebus, ac negocijs ſuccurrant, & opitulentur, ſe ab vna ad alteram Prouinciæ partem, & non rarò etiam ab vno ad alium Religionis terminum transferre prętendunt: ſtatuimus, vt quando Fratres naturali, & diuina obligatione ad amplectenda cognatorum negocia aſtricti fuerint, tūc cum omni fiducia, & ſecuritate ad Patrem Guardianum, ſiquidem ipſius cognati ſua negocia intra illius Conuentus fines habuerint, vel ad Patrem Prouincialem, aut Generalem, ſi negocia extra propriorum Conuentuum, vel Prouinciarum fines gerenda ſunt, confugiant, & recurrant, & Pater Guardianus, Prouincialis, aut Generalis reſpectiuè affectu, & ſolicitudine, quæ debetur, negocij curam, & procurationem non ipſis Fratribus qui cognationis neceſſitudine tenentur, ſed alijs, qui nullo huiuſmodi affectu ducantur, committent, ipſis mandantes, vt in illa actione, & adminiſtratione eam prudentiam, charitatem, & ſolicitudinem adhibeant, quæ neceſſaria fuerit; atque in hoc Superiorum, ac Prælatorum conſcientias oneramus, in quos Fratrum obligationes, quibus erga Patrem, vel Matrem, aut ſimiles afficiuntur, transferimus, vt ipſi Fratres in propria Prouincia, & Conuentu ad fruendum ſpiritus pace, & tranquil-

litate permaneat, & Religio à notabili molestia, & malis magni præiudicij consequentijs, quas Fratrum ab vno in alium Conuentum, vel ab vna in aliam Prouinciam transmeatio, cognatis opitulandi gratia secū affert, & Patres quidē Guardiani, qui à perfecta, & integra huiusce Cōstitutionis abfuerint obseruatione, à Patribus Prouincialibus, grauibus pœnis subijciātur, & hi prætereà longe grauioribus à Patre Ministro Generali.

Superioribus itidem, dictorum Pontificum Decretum in socijs assignandis ad memoriam reuocamus, nimirum vt socium Fratri exituro adiungant, nō petentis rogatu, sed arbitrio suo; quod sanè arbitrium multa prudentia, & circumspectione moderandum erit. Et Fratribus quidem tàm eiusdem, quàm alienæ Prouinciæ adiungendus est socius eiusdem familiæ; à quo, cùm reuersus fuerit, Superior iuxta Clem. VIII. Decretum, itineris rationem, & quid rei actum sit, diligenter perquiret: & si quidem hac in re defuerit, à Patre Prouinciali in visitatione publicæ disciplinæ flagellatione per Miserere in Refectorio plectendus erit, & si non resipuerit, Guardianatus officio priuetur. Si porrò aliquando contingat quempiam Fratrum opus habere egrediendi è Conuentu, animi causa, & alicuius refrigerationis, seu refocillationis, spiritusq. recreandi gratia; Superiores nullo modo permittant, vt ea occasione loca habitata, aut sæcularium domos adeat, & ingrediatur: Alioqui Pater Guardianus, aut Vicarius à Patre Prouinciali supradictis pœnis afficiatur: & subditus itidem disciplinæ flagellatione plectatur, & nisi emendatio sequatur, grauius puniatur, atque eidem similiter pœnitentiæ vniuersè cuncti Fratres subdantur (si hoc quidem in notitiam venerit) qui ad aliquam domū diuerterint, non obtenta priùs à Superiore licentia, vel statim ad Conuentum reuersi, apud ipsum non se excusauerint: siquidem ad eam domum eundi occasio inopinata fuerit, & improuisa, ac propter rem insuper necessariam, quæ nullam pateretur dilationem.

Clem. viij. pro refor. reg.

Et quoniam nonnulli ex illis antiquis Patriarchis hospitalitatis merito Angelos hospitio accipere digni sunt facti; statuimus, vt in singulis nostris Conuentibus aliquis Fratrum designetur, qui diligentem curam habeat recipiēdi cum omni possibili charitate nostræ religionis Fratres hospites, & peregrinos, quibus humilis Filij Dei exemplo pedes lauabunt: ad quē

Gen. 18.

Luc. 17.

Ioan. 13.

cha-

charitatis actum Fratres omnes, qui poterunt, conuenient, lauantes autem dicent aliquem deuotũ hymnum, vel Psalmum, se semper inutiles reputantes quamuis omnia sibi possibilia fecerint.

Denique vt Regula nostra exactius seruetur, in Monasterijs nostris non alantur iumenta ad equitãdum; sed si nõnunquã ex aliqua legitima, & necessaria causa cuipiam equitandum sit, Christi, & ipsius imitatoris Francisci exemplo, asino, si potest haberi, insideat, vtique vt vita nostra semper humilem crucifixum prædicet: si quis autem absque legitima, & manifesta necessitate equitare præsumpserit, quinquies vel plus, aut minus iuxta delicti, & excessus qualitatem Ministrorum Prouincialium arbitrio humi discumbẽs panem tantum & aquam manducans pœnitentiam agat.

CAPVT IIII.

CVM noster Pater S. Franciscus optimè nosset, cupiditatem (secundum Apostolicam doctrinam) malorum omnium esse radicem, hanc radicitus ex suorum cordibus filiorum euellere appetens, in Regula præcepit, ne vllo modo denarij, aut pecunia per se, aut per interpositam personam recipiatur, id quod quidem (vtpote de quo summopere erat solicitus) vt altiùs in nostras mentes intruderetur, & insereretur, tertiò in ipsa Regula repetit; Christo quoque Domino nostro dicente: *Cauete ab omni auaritia*: nos piæ Patris nostri à Spiritu Sancto edocti, intentioni, ac desiderio ad vnguem, & amussim satisfacere volentes; statuimus, vt Fratres nullo modo in terra habeant Procuratorem, vel aliam quauis appellatione nuncupatam personam, quę denarios pro ipsis Fratribus, aut eorum nomine contra Nicolaij III. cap. *Exijt*, & Clementis V. Clementina *Exiui*, teneat, aut recipiat: sed Procurator quidem noster sit IESVS Christus Deus noster: nostra autem substituta, & Aduocata ipsius dulcissima Mater: nostri verò spirituales amici sint omnes Angeli, & Sancti. Et ideo Guardiani eos, qui Conuentuum fabricæ

præsunt admoneant, eisq. præcipiant, vt cùm primùm ipsa Conuentuum structura fuerit absoluta, & perfecta, à denariorum & pecuniæ pro Fratribus receptione omninò abstineant.

Et quoniam altissima paupertas fuit dilecti Christi Filij Dei, & Sancti Patris nostri Francisci humilis ipsius serui sponsa; cogitent Fratres hanc neminem violare posse, quin summopere Deo displiceat, oculiq. sui pupillam tangere, ac lædere, qui illam lædit. Dicere Seraphicus Pater consueuerat, suos veros Fratres, maiorem pecuniarum, & denariorum quàm pulueris non habere æstimationem: quinimmò, & illos perinde ac lethiferum quendã serpentem fugere, & horrescere. Heu quoties pius, & diuino zelo accensus, & inflammatus Pater, spiritu præsentiens, multos hac pratiosa contempta margarita, in recipiendis, ac procurandis legatis, hæreditatibus, & eleemosynis superuacaneis fore relaxandos, illorum damnationem deplorans dicebat, illum Fratrem damnationi proximum fore, qui maiorem pecuniæ, quàm luti rationem haberet. Et ipsa quidem experientia omnibus compertum habetur, Fratrem simul ac paupertatis studium à se abigit, continuò in quoduis aliud graue, & execrandum vitium prolabi. Quapropter Fratres, Christi, & ipsius dilectæ Matris exemplo enitantur rerum terrenarum pauperes esse, vt diuinæ gratiæ, sanctarum virtutum, ac cælestium diuitiarum diuites sint. Et præ omnibus caueant, ne aliquem infirmum visitantes, ipsum directè, vel indirectè ad legandum nobis temporalia inducant. Quinimmò id vltrò facere volentibus omni meliori modo obsistant, & repugnent: cogitantes se simul diuitias, & paupertatem possidere non posse: Nec contra Regulæ declarationem Nicolai III. & Clementis V. legata recipiant.

c. exiĳt. §. ad hac. & §. proide.

Quò verò ad recursum ad amicos spirituales, vt hic pratiosus paupertatis thesaurus tutiori seruetur custodia: statuimus, ne vllo modo ad ipsos recurratur, nisi pro rebus necessarijs, quæ alio modo comparari nequeant, & cum Patris Prouincialis licentia, excepto necessitatis casu, cùm nulla mora est interponenda. Vsque adeo, vt in omni recursu vera semper adsit necessitas, & obtenta licentia. Et denuò repetimus quod superiùs alia occasione fuit declaratum, nimirùm pitãtiam pro Fratribus benè valentibus in classe rerum necessariarum, pro qui-

bus

bus ad pecuniam fas est recurrere, non comprehendi. Et propterea statuimus, ne vllo modo nec directè, neque indirectè ad pecuniam pro pitantia recurratur: atque hoc quidem sub grauibus pœnis à transgressoribus pendendis: nempè, vt Guardiani quidem irremissibiliter officio priuentur. Qui autem Guardianatus munere non funguntur, si sint Concionatores, aut Sacerdotes, vtriusque suffragij priuatione per annum mulctentur: Alij verò per duos menses caparronem deferant.

Cùm autem ad hanc vitam vocati sumus, vt nostrum externum hominem mortificantes, spiritum viuificemus: hortamur Fratres, vt ad huius mundi rerum penuriam patiendam assuescant, Christi exemplum sectantes, qui cùm Dominus omniũ esset, pro nobis pauper esse voluit, & pati: caueantq. propterea à dæmonio meridiano, qui se frequenter in Angelum lucis transfigurat, cùm vtique mundus deuotionis gratia suis nos blandis demulcens illecebris, terrena nobis commoda suppeditat, quæ in Religione magna identidem mala pepererunt, sibiq. subinde prospiciant, ne ex eorum falso pauperum numero esse velint, qui (vt ait deuotus Bernardus) ita pauperes esse volunt, vt nullam vllius rei indigentiam experiantur: Atque illud mente, ac intelligentia comprehendant, euangelicam paupertatem in eo cum primis consistere, vt Fratres nullo erga rem aliquam terrenam, teneantur affectu, & vt prætereà hisce rebus mundanis parcissimè quasi coactè, & sola ducti necessitate, ad Dei benedicti, cui omnia sunt referenda, gloriam, vtantur.

CAPVT V.

CVM vltimus noster finis sit Deus solus, ad quem nos omnes contendere, & aspirare debemus, plurimumq. eniti, vt in ipsum transformemur: Cunctos Fratres hortamur, vt in hunc scopum, & signum suas omnes dirigant cogitationes, hucq. subinde vniuersa sua studia, & desideria, & totum (quoad eius fieri poterit) amoris impetum, & conatum conuertant, vt toto corde, mente, anima, viribus, & virtute,

nec-

necnon actuali, iugi, intenso, ac puro affectu cum nostro optimo Patre coniungamur. Quoniam verò finem nemo consequi valet nisi per media; idcirco vnusquisque Fratrum reliquis omnibus, quæ vt inutilia, & perniciosa nos à salutis via abducunt, per eamq. pergentibus moram, & impedimentũ inferunt, posthabitis; illa sola eligere studeat, quæ ad tendendum in Deum vtilia sunt & necessaria: eiusmodi profecti sunt, altissima Paupertas, immaculata Castitas, humilis, & prompta Obedientia cum cæteris Euangelicis virtutibus, nobis à Dei Filio verbis, & exemplis in se, ac Sanctis suis traditis.

Verùm enim verò quoniam difficile est, hominem animo semper, & cogitatione in Deo eleuatum, & erectum persistere, vt etiam otium omnis mali radicem effugiamus, ac deuitemus, bonumq. proximo præbeamus exemplum, & mundo minùs graues, molestiue simus, atque in hoc Apostoli Pauli electionis vasis, qui prædicãs, manibus operabatur, & multorum itidem aliorum Sanctorum vestigia sequamur, & vt denique laboris, & externi operis monito nobis à Sanctiss. P. N. Francisco in Regula tradito pareamus; hacq. perinde in re illius voluntati in suo Testamento expressæ conformes efficiamur; Decernimus, vt, Fratres, cùm in spiritualibus exercitijs non fuerint occupati, in aliquo honesto exercitio manibus operando, occupentur; minimè tamen tunc temporis (quantum humana patitur imbecillitas) mente, & cogitatione in spirituali aliqua meditatione detineri prætermittentes. Fratres autem laici, qui officium, aut exercitium sibi à Superiore impositum subire, ac exequi renuerint, flagellationi coram Fratribus in Refectorio obnoxij, & vtroque suffragio per annum priuati existant: & si contumaces in proposito perseuerauerint, eisdem à Patre Prouinciali pœnitentia aggraue tur, & dupplicetur. Fratres verò quibus suffragiorum priuatio non congruerit (vtpotè vel quod priùs propter alia delicta priuati fuerint, vel quia nondum septimum in Religione annum expleuerint) caparronis pœna plectantur, illumq. tamdiu ferre cogantur, quandiu à sua peruicacia non resipuerint.

Deinde verò Fratres hortamur, vt cùm aliquid operis eos facere contigerit, in illo occupati, semper vel de Deo humili, & submissa voce loquantur, vel deuotus aliquis spiritualis liber le-

legatur, cuius lectionem omnes attentè audiant, vel silentium seruent.

Hæc Constitutio, Patres & Fratres, quò laudabilis est, & sancta, eò & obseruatione, & ponderatione, ac custodia habenda est digna. Hæc siquidem semper fuit Religionis, & nostri S. P. Francisci mens, & consilium, vt Fratres cùm in spiritualibus exercitijs, puta in oratione, studio, spiritualium librorum lectione, non fuerint occupati, tunc, nec illi quidem tantummodo, quibus Monasterij officia sunt commissa, verùm etiam reliqui omnes, se ad aliquod externum opus honestum, & vtile, Fratrum præsertim Communitati, manus admoueant, atque in eo exerceantur. Quamuis etenim Religio Fratribus indulgeat, vt illa hora, quæ prandium, vel cœnam subsequitur, (vt supra dictum fuit) simul in Religiosa consuetudine possint versari, ac detineri, alio tamen tempore nullo modo huiusmodi conuersatio, & familiaritas est permittenda, & multò adhuc minus, vt Fratres ociosi per Claustrum, aut per hortum, aut per Cellas euagentur, frustra, & inutiliter tempus conterentes: vnde magnum, & notabile spiritui, spiritualique progressui damnum fieri, & detrimentum consequens est. Atque idcircò in hac potissimùm re, graui Superiorum conscientias onere premimus, ne vllo modo huius Constitutionis tàm laudabilis (vt dictum est) & sanctæ, neglectum & trâsgressionem permittant; sed exemplo primùm, deinde verò feruentibus adhortationibus, & illis denique pœnitentijs, quas magis expedire censuerint, omninò studeant, & subditi studiosè, & sanctè, non autem ociosè, frustra, & sine fructu tempus trâsfigant; curantes, vt ad proprias Cellas se recipiant, vel quando per Monasterium ociosos, & nihil agentes viderint, eos ad aliquod negocium, vel externum opus, & exercitium in Fratrum commodum, & vtilitatem applicent.

Vlteriùs statuimus, ne vllo modo Fratribus absque expressa Patris Prouincialis licentia, aliquid operis, quod Communitatis vsui non seruiat, efficere permittatur: Et ne insuper Prouincialis cuipiam res præciosas, vel curiosas, aut superuacaneas facere permittat. Fratres porrò, qui à Patribus Prouincialibus res Fratrum Communitati vtiles & cômodas faciendi, & operandi facultatem habuerint, easdem factas nemini siue Fratrum,

siue

siue sæcularium absque eorumdem PP. Prouincialium licentia elargiri queant; secùs autem facientibus decernitur, vt prima vice disciplinæ flagellationem in Refectorio coram Fratribus per Miserere subeant, secunda autem vice, vnà cum flagellatione, ieiunio in pane, & aqua, tertia verò vice grauiori pœna plectantur.

Caueant autem Fratres, ne in externo opere, & labore finem constituant, vel in illo aliquem affectum ponant, aut ad illud adeò applicentur, in eòue occupentur, vt spiritum, cui omnia seruire debent, & obsequi, extinguant, vel remorentur hincq. subinde laboris, & operis exercitium, homini ad conseruandam spiritus deuotionem à Deo exhibitum, & à Sanctis vsu receptum, & probatum, illis sit distractionis, perdendæq. deuotionis causa.

Deuoti Bernardi dictum, & effatū est, nullā rem esse tempore preciosiorem, & nullam pariter hodie vilius æstimari: atque eiusdem pariter monitum est, nos de omni tempore nobis concesso, quonam pacto illud traduxerimus, subtiliùs examinandos esse. Quapropter cunctos nostros Fratres hortamur, ne vnquam se ocio dedant, nèue tempus in rebus minimę, aut nullius vtilitatis insumant; & multò adhuc minùs in vanis, & inutilibus verbis conterant, tremendam illam, ac formidabilem infallibilis veritatis sententiam memoria fixam semper tenentes: nos de omni verbo ocioso reddituros esse rationem in die iudicij: Verum vniuersum hoc preciosum tempus in laudabilia, honesta, & vtilia exercitia spiritualia, vel corporalia ad diuinæ Maiestatis gloriam, & honorem, & ad omnium nostrorum proximorum, & Fratrum, & sæcularium ædificationem, & virtutis exemplum impendere curent, ac studeāt. Hinc præterea omnibus inhibemus, ne actionem aliquam medicinalem extra Ordinem nostrum exercere, neque Medicorum more potiones, seu sirupos, & medicinas facere, parare, componere, seu ordinare, sanguinem mittere, aut similia efficere audeant, secus autem facientes, à suis Patribus Prouincialibus grauibus pœnis mulctentur.

Cùm verò contigerit sæculares propter aliqua opera, & exercitia, quæ Fratrum opera, & labore effici nequeant, in nostros Conuentus necessariò admitti (id quod quidem absque expres-

ſa Superioris localis licentia non eſt faciendum) tunc cura, & diligentia eſt adhibēda, vt perſonæ piæ, deuotæ, ac maturæ introducantur. Si quis autem in hoc deliquerit, toties flagellationis pœnæ in Refectorio per Miſerere ſubiaceat, quoties in hanc Conſtitutionem peccauerit.

Inſuper ſub grauibus pœnis ſtatuimus, ne Patres Guardiani famulos in Monaſterijs habeant, & ſi nonnunquam illorum opera per duos, aut tres dies opus fuerit: tunc ſingulariter curetur, vt perſonæ tātùm deuotæ, & maturæ (vt paulò ſuperiùs dicebamus) admittantur. Aſini porrò, muli, aut alia iumenta, & animalia ad Conuentuum vſum non alantur. Vbicumque autem fabricæ cauſa iumentum aliquod haberi acciderit, hoc ſimul ac ipſa fabrica fuerit abſoluta, protinus domino reſtituatur, vel ſi emptum ſit à Syndico cum Patris Prouincialis licentia vendendum curetur, vel ſi in alio loco opus eſſet, eò non mittatur, niſi cum ipſius Patris Prouincialis conſenſu: Atque idipſum de Tertiarijs ſtatuitur, ne ſcilicet propter Fratrum ſeruitia in noſtros Conuentus admittantur, nec teneantur, niſi in Monaſterijs, in quibus ab Adm. R. P. Generali, & Diffinitoribus generalibus permiſſum fuerit.

CAPVT VI.

SERAPHICVS P. N. Franciſcus altiſſimam Chriſti Cæli, & Terræ Regis paupertatem mente complectens, qui vtique quoad habitationem naſcens, nec parùm quidē loci in diuerſorio habuit; & viuens tanquam peregrinus in alienis domibus habitauit, ac denique moriēs, vbi caput reclinare poſſet, nō habuit perpendens inſuper quàm in cæteris alijs rebus pauperrimus fuerit, vt ipſum imitaretur, ſuis Fratribus præcepit, ne vllam rem propriam haberent, vt expediti tanquam peregrini in terra, & Cęli ciues, feruenti ſpiritu Dei viam currerent: quapropter nos in eiuſcemodi digno exemplo Chriſtum in veritate imitari, & re ipſa Seraphicum cœleſtis Paupertatis præceptum ſeruare volentes; notum facimus, & decla-

ramus, nos nullam in effectu iurisdictionem, dominium, proprietatem, iuridicam possessionem, vsum fructum, vel vsum iuridicum alicuius rei habere, neque illarum quidem rerum, quibus necessariò vtimur, neque itidem locorum, in quibus hæremus, & habitamus: vsque adeo, vt veri, ac proprij Domini nos possint quandocumque illis placuerit, eijcere & suas res omnes pro libito repetere.

Atque hinc subinde statuimus, vt Fratres, cùm locum aliquem nouum sunt recepturi, præter Prouincialis Capituli consensum, cum nostri Patris Generalis nutu, ac beneplacito (iuxta humilis Patris Francisci documentum) primò Episcopum, aut eius Vicarium conueniant, & locum illum in ipsius Diœcesi recipiendi facultatem postulent: eaq. obtenta vna cum benedictione, Communitatem, aut Dominos adeant, eosque rogent, vt locum aut situm ad ædificandum exhibere, & commodare velint; vel potiùs se priùs à Communitatibus, vel Dominis ad locum in eorum Territorio recipiendum inuitari, & accersiri præstolentur. Caueant autem, ne quemquam recipiant, nisi sub ea obtestatione, vt ipsis semper facultas maneat illum relinquendi, quotiescumque propter puram promissæ Regulæ obseruantiam id expedierit, vt si quandoq. aliquem deserere contingat, id absque scandalo fiat.

Et ad omnem præcauendam perturbationem, ac confusionem; statuimus, vt posthac nullus locus absq; Prouincialis Capituli consensione, & Admod. R. P. Generalis licentia deseratur, aut destruatur. Quinimmò & illud insuper volumus, vt in posterum nullus locus in Prouincialibus Capitulis vel ædificandus, vel mutandus, vel derelinquendus proponatur, nisi prius illius proponendi beneplacitum, & facultas ab Adm. R. P. Generali habeatur. Quando autem cum hac facultate nouus aliquis locus ædificandus in Capitulo propositus fuerit; statuimus, vt priùs Clementis VIII. Gregorij XV. & Vrbani VIII. decreta pro nouis locis, aut Conuentibus recipiendis, vel ædificandis publicè legantur.

Et vt sęculares nobis vti valeant in rebus spiritualibus, nos verò eisdem vicissim in temporalibus; statuimus, ne loca nostra à Ciuitatibus, Castris, & Pagis valde remota, aut eisdem nimis propinqua recipiantur; ne si nimium propinqua fuerint; ex

ex frequentiori sæcularium familiaritate, & consuetudine detrimentum capiamus. Sat quidem erit, si paruum milliare, vel circiter, vbi commodè fieri poterit, regulariter distantia fuerint: Quippe quòd nobis potiùs in solitarijs locis, & desertis (Sanctorum Patrum, & præcipuè nostri exemplo) quàm in amœnis Ciuitatibus habitare, amandum, optandumq. sit.

Et quia prætereà tāquam peregrini, ad antiquorum Patriarcharum exemplum in humilibus locis, & pauperibus domibus vitam traducere debemus: hortamur Fratres, vt verba Seraphici Patris nobis in suo Testamento legata ad memoriam reuocent, quibus prohibet ne vllo modo Ecclesias, & habitationes pro ipsis exædificatas recipiāt, nisi illæ fuerint secundū formam altissimæ paupertatis, vt & inde intelligāt sibi adhuc multò minùs fas esse eas sumptuosè vel construere, vel vt extruantur consensum præbere. Et Fratres quidem Minores, vt Mundi Dominis placeant, Deo displicere, Regulam præuaricari, proximis scandalo esse, & simul etiam promissam Euangelicam paupertatem lædere non debent. Magnum profectò inter magna diuitum palatia, & paruas pauperum mendicorum, peregrinorum, & pœnitentium domus interesse debet discrimē. Quapropter statuimus, ne vlla loca siue pro nobis, siue pro alijs ædificata recipiantur, & ne itidem extruantur, aut extrui permittantur, nisi cum sanctissima congruerint paupertate. Et ad hunc sanè finem paruus archetypus, & exemplar effectum est, secundum quod in tota nostra Congregatione exædificandum erit.

Ecclesiæ nostræ sint paruæ, & pauperes, sed deuotæ, honestæ, & mundissimæ; nec magnæ prædicandi gratia sunt habendæ; quoniam (vt Pater noster S. Franciscus dicebat) maiori est exemplo in alienis Ecclesijs prædicare, quàm in nostris, maximè cum sanctæ paupertatis læsione.

Vna tantummodò parua campana centum, & quinquaginta, vel circiter librarum, (vt moris est) habeatur. Sacraria paupere, ac tenui supellectili sint instructa, forti tamen claue munita, quā secū semper Frater professus ferat, & cōmuniter duo tantū calices cum cuppa, seu scypho argenteo, & suis patenis aptē, congruenterq. inauratis habeantur, nec plures calices, aut ecclesiastica paramenta sint, quàm locorum necessitas postulaue-

tit. In Altaris paramentis non adhibeantur aurum, argentum, aut aliæ res curiosæ, ac prætiosæ secũdùm Clementinam. Omnia verò sint munda, & elegantia, præcipuè,& speciatim sacerdotalia indumenta. Corporalia, & Purificatoria sint mundissima, & candidissima. Candelabra ex simplici ligno torno elaborata. Nostra denique Missalia, & Breuiaria, & reliqui itidem nostri libri simplici, communi, & vulgari, non autem sumptuosa, vel curiosa colligatione sint compacta, quibus pariter & simplicia, ac vulgaria, minimèq. sumptuosa, vel curiosa adhibeantur signacula.

Caueant autem Fratres, ne in rebus ad diuinum cultum spectantibus, vlla appareat prætiositas, aut superfluitas; scientes Deum (vt inquit Papa Clemens V. cor mundum, sanctas operationes velle, ac exigere, hisque magis delectari, quàm rebus prætiosis, & valdè ornatis. Quamobrem nobis danda est opera, vt in omnibus rebus, quæ nostro vsui sunt addicta, altissima niteat paupertas, quæ nos ad cœlestium diuitiarum prætiositatem, vbi omnis noster thesaurus, deliciæ, & gloria sita sunt & locata, alliciat, vrgeat, & impellat; Atque ideo prohibemus, ne quid aureum, argenteum, holosericum, aut sericum diuino cultui adhibendum recipiatur, præter calices,& Sanctissimi Sacramenti pixides, Tabernacula, & vela super Tabernacula, & calices expandenda, quæ nihilominus nullo modo moderatum vsum excedant, vel exuperent. Et Patres quidem Ministri Prouinciales, si huiusmodi res in suis visitationibus deprehenderint, eos, qui illas receperint, vt inobedientes, & nostræ simplicitatis parum amantes pœnitentia plectant, simulq. iubeant vt suis Dominis restituantur, vel si eorum non habeatur notitia, alijs Ecclesijs pauperibus tribuantur.

Cellæ parietum interuallo, & intercapedine in longitudine, & latitudine nouem palmos, & in altitudine decem non excedant. Portarum autem altitudo sit septem palmorum, latitudo verò duorum cum dimidio: Fenestrarum altitudo sit duorum palmorum, & dimidij, atque vnius & dimidij latitudo. Dormitorij spatium, & intermediũ sex palmis definiatur, Refectorij è pauimento vsque ad contignationem, seu tabulatum altitudo tredecim palmos, vel ad summum vbi aer insalubris fuerit, quatuordecim non prætereat, & ita reliquæ officinæ sint

par-

paruæ, humiles, pauperes, abiectæ, ac demissæ, vt omnia humilitatem, paupertatem, & mundi contemptum prædicent. Quoniam verò palmi non omnes vbique eiusdem sunt mensuræ; idcircò in fine huius libri descripta est dimidij palmi mensura, secundùm quam tàm dicta ædificia, quàm nostra vestimenta mensuranda erunt.

Et vt nullus in Conuentuum fabrica error tàm in situs delectu, quàm in cellarum, & aliorum locorum structura vltra præscriptum modum, & mensuram contingat error; statuimus, vt à P. Prouinciali, & Diffinitoribus in Capitulo quatuor ex melioribus, & magis idoneis, feruentioriq. obseruantiæ zelo præditis Prouinciæ Fratres deligantur, ex quibus duo saltem actu sint Diffinitores, quibus vnà cum P. Prouinciali Ministro munus tradatur, & facultas recipiendi situs, vbi fundanda sunt Monasteria, & simul etiam effingendi, ac describendi exemplaria, ab ipsis propria subscriptione consignanda, secundùm quæ Cōuentuum ædificia construantur, qui & propterea eo consilio, & ratione illa disponere, & digerere curabunt, vt nulla deinceps ex parte sint immutanda.

Quando verò nonnulla inter ipsos tàm in recipiēdis sitibus, quàm in efformandis, & effingendis archetypis occurreret controuersia; volumus, vt hæc secretis votis dirimatur, maiori parte deuincente, in qua quidem actione Pater Prouincialis vnum tantum suffragium ferat, quemadmodum & singuli eorum, qui fabricis sunt præpositi.

Et vt omnia præterea fugiantur, quæ paupertatis pulchritudinem obscurare possent: statuimus, vt Fratres, quibus à Capitulo, atque à P. Prouinciali ædificiorum negocium commendatū fuerit, diligentiam adhibeant, studiumq. nauent, vt pauper præscripti archetypi, & exemplaris forma, & mensura obseruetur, eorum conscientiam de omni superfluitate, & exuperatione prementes. Atque idcircò Pater Prouincialis, & PP. Diffinitores, quæ censentur fabricæ necessaria cum cellarum, officinarum, tùm aliorum locorum, quæ Monasterij commoditati sunt opportuna, numero determinent, & decretum insuper conficiant, illudq. subscribant. Deinde verò Pater Prouincialis cum fabricarum Præfectis ad definitum, constitutumquè locum se transferat, atque exemplar, ad cuius imitationem

illud Monasterium sit ædificandum, describant, & efforment, cui pariter se subscribent, illudq. fabricæ Præfecto obseruandum tradent. Qui quidem si illud non obseruauerit, per duos annos actiuo, & passiuo suffragio priuatus existat, & decretum præterea vnà cum exemplari diligenter seruetur, vt suo tempore, si fuerit opus, ratio reddatur, & si fortè amittatur, aut non inueniatur, Pater Prouincialis per annum eidem priuationi subiaceat. Cùm autem Monasteria extruentur, cuncti Fratres, cùm id illis mandatũ fuerit, cu om u humili ate, pace & chari ate auxiliarias manus ad opus admouere contendent. De cætero verò omnibus Fratribus expresse præcipitur, ne se vllo modo ad impendendos, expendendosue, seu erogandos pro dictis fabricis denarios ingerant; sed huiusce rei curam ijs dimittant, quibus est commissa: eos solùm cum humilitate, & charitate admonentes, si quid præposterum fieri, aut superuacuum cernent.

Statutum est præterea, vt in nostris Conuentibus, vnum, aut duo (si fieri poterit) sint cubicula camino instructa, pauperum, peregrinorum, & aduenarum personarum, præsertim Religiosarum Dei seruitio dedicatarum (cùm opus fuerit) hospitio, vt charitas postulat, & nostra patitur paupertas, destinata, quæ à Fratre, cuius curæ commissa fuerint sub flagellationis pœna munda, & parata teneantur, & noctu saltem claui occlusa.

Absolutis porrò Monasteriorũ fabricis, & ædificijs, nullus Guardianorum ædificare, vel diruere quicquam possit, nisi cùm hoc illi à suo P. Prouinciali iniunctum fuerit, cui tamen accuratè prospiciendum erit, ne hanc facultatem cuipiam tribuat, nisi expressam adesse perspexerit necessitatem: & si in aliqua re notabili concedenda sit, Patrum Diffinitorum, & Fabricarum Præfectorum consensum omninò habeat.

Insuper statuimus, vt si in locis: recipiendis fuerint vites, aut arbores, sine Patris Prouincialis licentia non excidantur, vel euellantur: Quicumq; autem secùs egerit, siquidem Guardianus fuerit, quot arbores inciderit, toties in Refectorio disciplina se cædat, & humi stratus panem & aquam comedat: sin autem sit subditus tot itidem se vicibus disciplina excipiat, & per mensem caparronem deferat.

Denique vt Regulæ puritas cum debito rerum diuinarum or-

ordine, vnà cum altissima paupertate meliùs obseruetur; statuimus, ne in Conuentibus nostris iam absolutis, & perfectis minùs quàm duodecim Fratres (quoad eius fieri poterit) habitent, vtique sacræ Concilij Congregationis inhærentes decreto, D.N.VRBANI VIII. nutu, & auctoritate sancito, quo præcipitur, & mandatur, ne in posterum domus, aut Conuentus recipiantur, in quibus duodecim Fratres commorari nequeant. Quæcumque autem domus, aut Conuentus, in quibus totidem Fratres habitare non poterunt, neque in effectu habitent, recepti fuerint, & exædificati, Ordinariorum Visitationi, correptioni, & iurisdictioni omninò subiaceant. Memoria itidem tenentes eiusdem D.N.VRBANI VIII. litteras in forma Breuis anno 1624. editas quarum initium, & exordium est. *Romanus Pontifex*, in quibus inter alia hæc præcisa, & formalia verba continentur. *Præterea Ordinum omnium Mendicantium, Congregationum, societatum, & aliorum Institutorum Regularium Superioribus quocumque nomine nuncupatis, cæterisq. personis, ad quas spectat in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, necnon officiorum quorumcumque, ac inhabilitatis ad illa, & alia in futurum obtinenda, necnon etiam excommunicationis ipso facto incurrendis pœnis, interdicimus, & prohibemus, ne licentiarum, seu facultatum per Nos, vt præfertur, reuocatarum, & annullatarum, siue alio quouis prætextu, vel causa quantumuis etiam priuilegiata, noua Monasteria, Collegia, Domos, Conuentus, & alia loca Regularia huiusmodi, nisi de expressa Ordinariorum licentia ac seruatis in omnibus, & per omnia sacrorum Canonum, & Conc. Trid. necnon Constitutionis fel. record. Clem. VIII. quæ incip. Quoniam ad ad institutum sub Dat. Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die 23. Iulij MDCIII. ac decretorum de mandato eiusdem Clem. necnon sim. mem. Greg. XV. Roman. Pont. prædecessorum desuper editorum forma, recipere, erigere, fundare, seu alias quomodolibet instituere, seu incæpta finire, & absoluere audeant, seu præsumant.*

Porrò autem Fratres hortamur, vt in quacunque domo, aut Conuentu in dulcis IESV nomine congregati fuerint, concordes, & vnanimes sint, ad maiorem semper progredi perfectionem contendentes; & vt veri Christi discipuli sese mu-

tuò ex corde diligant, alter alterius onera defectusq. portantes, & in diuino amore, fraternaq. charitate se sine vlla intermissione exercentes, sibi inuicem, & omnibus virtutis exemplum præbere studentes, atque proprijs passionibus, prauisq. inclinationibus vim inferentes: Quoniam (vt noster Saluator ait) *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti*, illi nimirum qui vim, & violentiam sibimetipsis faciunt, *rapiunt illud*.

Et quoniam secundùm Euangelicam doctrinam Christiani, & cum primis Fratres Minores, qui speciatim Christum speculum sine macula, per altissimam paupertatis viam sequi delegerunt, cogitare debent, suum cœlestem Patrem scire, posse, ac velle ipsorum curam gerere; ac proinde non vt Gentiles, qui diuinam non credunt Prouidentiam, cum anxietate, & solicitudine has Mundi res, quas magnus Dominus larga, & profusa manu ipsis quoque animalibus elargitur, quærere debent, & procurare; sed vt veri æterni Patris Filij, omni posthabita carnali solicitudine, ab illa diuina liberalitate pendere, atque in infinitam eius bonitatem se iactare; Idcircò statuimus, ne in nostris Conuentibus vlla pro humano victu, earum rerum, quæ singulis diebus mendicari possunt, prouisio fiat quantumuis necessaria, nisi pro nonnullis paucis diebus secundùm temporum, & locorum occasionem, indigentiam, & rationem. Fructus autem in ea tantùm quantitate quærantur, quæ Fratrum in Cõuentibus degentium necessitati sufficiat. Qui autem huic Constitutioni refragari præsumpserint, publicæ disciplinæ in Refectorio flagellationem subeant, & humi prostrari insuper solùm panem, & aquam edant. Vt autem superuacuæ prouisioni humanæ precludatur via: statuimus, ne in nostris Conuentibus dolia, aut cadi habeantur; sed nonnullæ tantùm pauperes cucurbitæ, seu œnophora, aut lagenę: Vbi verò propter Fratrum multitudinem dicta Oenophora eorum subleuandæ indigentiæ non sufficerent, & opus subinde esset aliquos cados tenere; id absque Patrum Prouincialium licentia non fiat: Quibus nihilominus accuratiùs prospiciendum erit, num eiusmodi indigengentia, & necessitas sit vera necne: in quo quidẽ eorùmdem Patrũ Prouincialium cõscientiam oneramus: Ligna pro hyeme hibernoq. tẽpore ad duos, vel tres mẽses plus minùs iuxta Prouincialis Capituli determinationẽ, parari, conseruariue poterunt.

Præ-

Præterea, vt mendicitatis nomini facta respondeant, sintue consentanea: statuimus, ne pro Fratribus sanis, & bene valentibus, carnes, oua, caseus, vel alij prætiosi cibi nostro pauperi statui minimè congruentes, nec quidem bacchanalium tempore, data opera quærantur, & mendicentur: hæc autem spontè à fidelibus oblata, necessitatis habita ratione recipi poterunt: Aromata porrò in nostris cibis, præterquam pro infirmis (si opus fuerit) vsui non sint.

Insuper si quandoq. cibum aliquem non necessarium, vel superuacaneum mitti, offerriue contingat, illum Fratres cum humili gratiarum actione respuant; vel recipientes, ex offerentiū consensione, pauperibus distribuant; animo, & mente tenentes nos velut in taberna, & caupona diuersari, & populorum peccata comedere, necnon de omni planè re exactissimam redituros esse rationem. Quamobrem summopere caueant Fratres, ne abundantibus, Magnatum gratia & fauore, ac Mundi deuotione eleemosynis, tanquam non legitimi Patris S. Francisci filij, suam sanctissimam matrem paupertatem deserant: illaq. subinde elegantia verba memoria retineant, quæ idem Seraphicus Pater cum ardentissimo amoris affectu dicere consueuerat. Deo gratias ago, quòd illius bonitatis munere, fidem semper meæ dilectæ sponsæ paupertati seruauerim: nec vnquam fur eleemosynarum extiterim: quoniam minus semper, quàm mihi opus fuit, ne reliqui pauperes sua parte fraudarētur, accepi

Ad hæc, quoniam voluntaria paupertas nihil habet, & omnium est diues, summaq. proinde fruitur fælicitate, nec vllo planè timore, aut desiderio exagitatur: vtpote quæ nullius prorsus rei iacturam facere queat: illius thesauro in tutissimo loco collocato: idcirco, vt in effectu omnis proprietatis radices reuera penitus euellantur: statuimus, ne vllus Fratrum absque necessitate, & Patris Prouincialis, seu P. Guardiani licentia, cellæ, capsæ, vel arcæ, aut scabelli clauem habeat, officialibus exceptis ad eas res conseruandas, & custodiendas, quæ Fratrum Communitati, vt iustum, & æquum est, sunt distribuendæ. Quicumque autem secus fecerit, pro prima quidem vice flagellationis coram Fratribus in Refectorio pœnam subeat: pro secunda autem vice in pane, & vino ieiunet: pro tertia verò vice, solo pane, & aqua vescatur. Et si

quidem non resipuerit, alijs pœnis ad arbitrium Patris Prouincialis mulctetur. Atque eisdem planè pœnis obnoxij sint, qui sine dicta necessitate, & licentia cellas, capsas, scabella, & similia alio quàm cum claue, modo, & artificio clauserint. Ad memoriam insuper Decreti Clementis VIII. obseruantia reuocetur: quo vtique decernit, ne vllus cellam etiam noctu ita claudat, quin semper à Superiore possit aperiri. Si quis porrò Fratrum in proprietate deprehensus fuerit, omnibus Ordinis officijs priuatus existat: & quibus hæc pœna non congruerit, in caparronem Patris Prouincialis arbitrio commutetur. Et si quidem in morte (quod absit) quisquam proprietarius repertus fuerit, Ecclesiastica sepultura priuetur: Atque eadem pariter proprietatis pœna plectatur, qui sine Patris Ministri Prouincialis, aut Superioris localis licentia libros, vel aliã quamlibet rem extra nostros Conuentus seruandam deponet.

Quoniam prætereà nihil in hoc mundo possidemus, nemini Fratrum absque suorum Guardianorum licentia fas sit quippiã sæcularibus elargiri: quemadmodum neque ipsis itidem Guardianis sine suorum PP. Prouincialium licentia nonnisi res minimas, & viles dispensare, vel alijs dispensandi facultatem dare licet: Quod porrò dicitur quoad ea, quæ sæcularibus tribuuntur, idipsum pariter secundùm proportionem quoad ea quoque, quæ Fratres vicissim dono dare, vel recipere solent, asseueratur: Nolumus enim Fratres nisi res exiguas, & minimas secundum statum, & professionem nostram, & Summorum Põtificum declarationes, etiam si res sint, quæ ad deuotionem pertineant, elargiri, vel recipere posse: Et proinde si quispiam Fratrum absque licentia sui Patris Guardiani, aut Superioris, cuius iudicio commissum esse volumus discernere num res minima sit, necne, rem aliquam dare, aut recipere præsumpserit, & dedisse, aut recepisse deprehensus fuerit, statuimus vt tanquam Regulæ transgressor puniatur.

Quemadmodum & illud itidem volumus & decernimus, vt Guardianus, aut Superior, qui in dijudicandis rebus minimis notabiliter excesserit, nimisq. largus fuerit, aut hanc Constitutionẽ à suis subditis obseruari nõ curauerit, in sequẽti Capitulo de Guardianatus gradu deijciatur; Id quod pariter esse de Pontificis mente, non est ambigendum, cũ in Decretis pro Regu-

gularium reformatione, Superioribus mandet, vt Constitutio interdicens largitionem munerum inuiolabiliter obseruetur.

Et iuxta hoc vlterius statuimus, ne Patres Guardiani vllo modo Fratribus facultatem tribuant largiendi sęcularibus fructus, aut alias nostrorum hortorum res, nisi cùm ipsimet sæculares eas petierint, aut earum se teneri desiderio significauerint. In quo sanè casu decet nos esse cũ moderatione liberales, maximè erga pauperes, & nostros Benefactores. Extra hunc casũ verò nedum subditi, verũ etiam Superiores sese à largitionibus sæcularibus faciendis abstineant, vtpote quæ pauperem nostrum statum multum dedeceāt; & vt per hoc præterea multa euitentur inconuenientia, quæ hac ex parte oriri possunt, & haud raro etiam in effectu contingere solent. Qui autem huic Constitutioni parere noluerint, toties publicæ disciplinæ flagellatione in Refectorio per Miserere plectantur, quoties obedientiam abiecerint.

Vt autem infirmorum necessitatibus consulatur, & cuncta eisdem necessaria, & possibilia adminicula (vt ratio dictat, Regula præcipit, & fraterna charitas exigit) suppeditentur: statuimus, vt iuxta Clementis VIII. Decretum in singulis nostris Conuentibus (quoad eius fieri poterit) certo, ac salubriori loco valetudinarium constituatur, quod pro loci situ, ac Fratrũ numero, quoad eius fieri poterit, commodissimum esse possit, in quo Fratres omnes cùm ægrotabunt, curentur; nec inde nisi recuperata sanitate, abire permittantur; atque inibi eisdem, quæ opus habuerint, prouidè subministrentur, nostri Seraphici Patris exemplo, qui pro ipsis carnes publicè mendicare non verebatur.

Insuper statuimus, vt simul ac quispiam Fratrum ægrotauerit, illicò à Patre Guardiano illius curæ, & administrationi aliquis Frater diligens, & charitate præditus, & ad illi in omnibus necessarijs seruiendum idoneus deputetur, & si in hac re defuerit, vel in aliqua infirmi necessitate defecerit, graui pœna à Patre Ministro Prouinciali plectatur. Et si quandoq. expedire censebitur, vt ægrotus recuperandæ valetudinis gratia, ad alium transferatur locum; id opportuno tempore faciendum curetur. Quilibet autem Fratrum cogitet, quid pro semetipso in tali casu fieri vellet, atque adeo animum ad illud refe-

tat, quod pius noster Pater in Regula apertè expressit, nullam vtique matrem erga vnicum filium suum esse adeò mollem, piam, atque propensam, vt quilibet nostrum erga suum spiritalem Fratrem esse debet.

Quoniam verò non rarò contingit, Fratrem ægroti curæ destinatum in aliquo alio ministerio occupari, vel aliquo alio impedimento frequenter occurrenti detineri, ideò reliqui Fratres Regulæ præceptum Cap. 6. quo omnes, nemine excepto, obstringuntur, obliuisci non debent, quod vtique dicit. *Et si aliquis eorum in infirmitatem ceciderit, alij Fratres illi seruire debent eo modo, quo sibimetipsis seruiri vellent.* Quapropter debent ipsos infirmos visitare, nec sanè quidem sola illos inuisendi gratia, sed ad illum cum primis finem, vt illis seruiant, ac proinde eo tempore illos adire, non quod sibi, sed quod ipsis infirmis censebitur opportunum, & in quo maiori vrgetur necessitate, vt visitentur, & illis seruiatur.

Et quamuis infirmos visentes, (non obstante silentij perpetuò in dormitorio obseruandi Constitutione) possint, ac debeant aliquo iucundo sermone, spirituali tamen, vel certè indifferenti, illos consolari, & exhilarare, ipsis tamen in valetudinario minimè fas erit vocem ita extollere, vt in propinquis, vel cubiculis audiatur, & alijs subinde Fratribus vel ægrotantibus, vel qui semoti, ac segregati in studijs, oratione, vel spiritualium librorum lectione occupantur, molestiam inferant, atque eisdem pariter infirmis, & ægrotis, quos visitandi gratia conueniunt, præiudicio sint, ac detrimento: sed voce submissa religiosa, ac deuota ipsos ægrotos oblectari, & exhilarare studebunt: secus autem agentes, à Superioribus cum sancto zelo ac seueritate omninò compescendi sunt, ac puniendi.

Quemadmodum itidem & eorumdem Superiorum muneris est prouida, & solicita cura valetudinario prospicere, ne quid debitæ charitati desit, tùm potissimùm, cùm infirmi sunt pusillanimes, & per se ipsos exprimere, seu significare, nedum petere, quæ sibi sint necessaria, non audent. Ipsa porrò charitas si magno illius studio, & ardore erga infirmos efficiemur, hæc nos omnia benè facere docebit.

Et vt omnibus necessaria, conuenientiaq. remedia (quoad eius fieri poterit) religiosa circumspectione prouidè suppedi-

tentur: ſtatuimus, vt ſi cuipiam Fratrum balnearum remedio opus fuerit, huic P. Generalis ad illas adeundas litteras obedientiales minimè concedat, niſi priùs de hac eius neceſſitate teſtimoniales litteras à Medicis, & à Patribus Prouinciali, & Diffinitoribus (vt hactenus in noſtra Religione diuturno vſu fuit obſeruatum) receperit; habita ſemper tùm charitatis, tùm earum omnium cautionum, quas ſibi ſua prudentia ſuggeſſerit, ratione.

CAPVT VII.

AD euitandum ſubditorum, ac Prælatorum periculum, ſimulq. omnem diſtrahendæ mentis fugiendam occaſionem; & vt mente tota, & omni animi impetu, in Chriſtũ reuocati, & collecti abſq; vlla offenſione, & aduerſæ rei occurſu, tutiùs, ac fidentiùs ad cœleſtem Patrem currere valeamus: Statuimus, ne vllo vnquam tempore in noſtra Congregatione audiendis ſæcularium cuiuſcumque ſexus, gradus, ſtatus, & conditionis fuerint, confeſſionibus aditus aperiatur, vetuſq. ſubinde noſtræ Religionis conſuetudo, & inſtitutum conſeruetur; ſeruatis porrò Pontificum Decretis: in quorum ſanè executione cùm à Religione nonnullis Prouincijs ob vrgentes cauſas, ac reſpectus indultum fuerit, poſſe nonnullos ex noſtris Sacerdotibus ad excipiendas ſæcularium confeſſiones deputare, & cupientes, vt huius ſancti Sacramenti adminiſtratio cum omnibus poſſibilibus cautionibus adimpleatur: ſtatuimus, vt ſingulis annis in dictis Prouincijs à Patribus Prouincialibus, & Diffinitoribus in Prouincialibus Comitijs, illi qui ad dictas excipiẽdas. Confeſſiones proponendi. exponendiq. ſunt, ſecretis ſuffragijs in eo numero, qui dictis Patribus neceſſarius videbitur, eligantur, & in Conuentibus, prout magis expedire cenſebitur, collocentur. Nullus horum porrò ad audiendas ſæcularium cõfeſſiones exponi poſſit, niſi maior ſuffragiorum Patrum pars in illum confluxerit, & ſuppoſita pariter Ordinariorum approbatione iuxta decretum ſacroſancti Concilij Tridentini. Statuimus præterea, vt confeſſiones in noſtris Eccleſijs intra

confeſſionalia modo decenti expoſita, nullo vero modo in Sacellis, aut in alio loco, & præſertim in cella audiantur. Confeſſarij verò in confeſſionalibus à pœnitentibus ſeiuncti ſint, ac ſeparati, vel parietis interiectu, vt in nonnullis Prouincijs vſu fieri venit, in quibus pœnitens in Eccleſia conſtitutus ſuam facit confeſſionem, & confeſſarius intra Conuentum poſitus illam audit. Vel vbi hoc vſu non fuerit introductum, neque itidem facilè poteſt exerceri, tabularum interpoſitione, nimirum, vt confeſſionalia ea ratione ſint extructa, vt Confeſſarius, ac Pœnitens tabulis ſeparati in Eccleſia videantur, vti etiam communiter fieri ſolet.

Inſuper ſtatuimus, ne vllus Confeſſariorum pro ſæcularibus expoſitorum quicquam à ſuis pœnitentibus abſque Superioris licentia poſſit accipere: Qui autem dicto non obtemperauerit, à confeſſionibus audiendis Patris Prouincialis arbitrio ſuſpendatur. Qui quidem Pater Prouincialis aduertat, ne ordinarium vlli perſonæ aſſignet Confeſſarium, ſed ſingulis annis in vnoquoque Capitulo ſecundùm rerum opportunitatem cum Patrum Diffinitorum conſenſu id quod ſibi melius videbitur diſponat.

Vlteriùs ſtatuimus, vt in dictis Prouincijs Moralis Theologiæ, ſeu Caſuum conſcientiæ gymnaſium, ſeu ſtudium inſtituatur, ad quod quidem à Patre Prouinciali, & Diffinitoribus in Capitulis illi dumtaxat ſacerdotes promoueantur, qui mediocris intelligentiæ, & capacitatis, vitæq. itidem exemplaris, & morum laudabilium eſſe cenſebuntur; & horum quidem nullus ad audiendas ſæcularium confeſſiones exponi poſſit, niſi priùs duobus annis eiuſmodi ſtudio nauauerit, atque in eo pariter aliquem feciſſe progreſſum, vt ad tantum exercēdum miniſterium exigitur, depræhenſus fuerit, & duodecimum inſuper in Religione expleuerit annum.

Ad hæc, ſtatuimus, ne vlla Confeſſarijs ob dictas excipiendas confeſsiones, præcipuè Guardianis, à diuino Officio, Oratione, & à communis menſæ communione, exemptio concedatur, niſi fortè in aliquo Iubilæi, aut magni concurſus tempore, vel alia neceſſitate; & tunc id abſque particulari Superioris localis licentia non fiat. Dictos porrò Confeſſarios monemus, & hortamur, ne in ſuorum pœnitentium res familiares, ac nego-

gocia se ingerant; sed illos semper in quauis occasione qua cum eis agere contigerit, religiosa consuetudine ædificare studeant, ob oculos semper huiusce negocij, & sancti ministerij momentum, & grauitatem versantes.

Nullus autem externo fauore extra Religionē studiosè ascito facultatem audiendi sæcularium confessiones obtinere præsumat. Quisquis autem licentia per eos, qui sunt extra Religionem obtenta, & hac sibi priùs à Romana Curia nequaquam concessa, sæcularium confessiones audierit, ipso facto vtroque suffragio priuatus existat, cùm huiusmodi facultas, & licentia, iuxta Apostolicorum Decretorum dispositionem (extra generalis Capituli tempus) ab Apostolica Sede omninò sit obtinenda.

Quò verò ad nostrorum Fratrum cōfessiones, in singulis domibus duo, vel tres, aut plures confessarij pro subditorū maiori, vel minori numero deputentur, ijq. sint docti, prudentes, ac charitate præditi; & singuli Fratres bis saltem in hebdomada confiteantur; & vnusquisque vnum ex confessarijs deputatis liberè deligat, quem maluerit. Omnes nihilominus nostri Iuuenes tàm Clerici, quàm Laici, nedum Nouitij, sed etiam Professi vsque ad quartum annum in Religione expletum, suis Magistris confessionem faciant. Volumus tamen, vt PP. Guardiani iuxta iam constitutum ordinem quinquies, aut sexies in anno, omnibus supradictis Iuuenibus extraordinarium deputēt Confessarium, cui omninò confiteantur, tametsi libentiùs se suis Patribus Magistris, aut Guardianis confiteri assererent. Porrò autem hortamur PP. Confessarios tàm Prælatos, quàm subditos, vt suorum pœnitentium confessiones in locis decentibus, & modo itidem reuerentiæ Sacramento pœnitentiæ debitæ conuenienti & proportionato excipiant.

Meminerint porrò Confessarij deputati, se in casuum reseruatorū materia ad inducendum pœnitentem ad præsentationem teneri: & si aliquando contingat, illos aliquem pœnitentem ob rationabilem aliquam causam ab onere eximere, ipsosmet ad subeundam præsentationem cum speciei casus, & numeri transgressionum, ac peccatorum expressione obligari.

Volumus insuper, vt Patres Ministri Prouinciales sint admodum circumspecti, ne quemquàm vllo modo ad audiendas Fratrum

trum

trum confessiones admittant, qui probatæ vitæ, idoneusq. ac sufficiens non sit; Atque ideo illos, qui fuerint admittendi, priùs diligenter examinabunt. Examinati autem, & ad audiendas confessiones admissi, eiusmodi munus nequaquam exercere valeant, nisi præterea in Capitulo, à P. Prouinciali, & Diffinitoribus in Conuentibus fuerint deputati: in quibus sanè locis eo dumtaxat tempore, ad quod destinati fuerint, aliàs verò nequaquam, illa vtantur facultate. Cùm autem in Conuentibus Confessarij deputati vel propter locorum mutationem, vel ob infirmitatem, vel mortem defecerint; tunc Pater Guardianus quamprimùm Patrem Prouincialem faciat certiorem, & interim iuxta necessitatem prouideat. Vt autem huiusmodi munus in nostra Religione diligentiùs & accuratius exerceatur, danda erit opera, vt Clementis VIII. Constitutio executioni mandetur; nimirum vt in nostris Conuentibus bis saltem in hebdomada (quoad eius fieri poterit) Casuum conscientiæ lectiones habeantur: quam quidem Patris Guardiani Conuentus curam esse, ac munus, volumus: qui sanè si propter alias suas occupationes hoc munus exequi alio modo nequiuerit, eidem fecisse satis censebitur, si alicuius ex magis approbatis Casistæ libro ad rem faciente in manibus appositè legat, eo plane modo, quo & in mensa librorum spiritualium lectiones leguntur. Ad quam quidem casuum lectionem Conuentus Fratres, Sacerdotes præsertim & Clerici, vt dicit Decretum, conueniant; eaque absoluta mutua collatione circa explicatam doctrinam sese vtiliter exerceant.

Animaduertant porrò omnes Fratres nostri tàm in conscientiæ casuum lectione, quàm in alia quauis occasione, ne largas proferant, seu doceant, aut disseminent doctrinas, & opiniones, vtpote Regularibus summopere perniciosas, & statum nostrum maximè dedecentes, in quam quidem rem Patribus Guardianis, & Patribus Prouincialibus omni diligentia incumbendum, peruigilandumq; erit, & graues deinde, ac seueræ huiusce documenti transgressoribus flagellationum in publico Refectorio & aliarum pœnarum pœnitentiæ ab eisdem infligendæ, & tàm Superiores, quàm Confessarij caueant diligentissimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem vtantur, vt expresse à Pontifice

tifice prohibetur. Si quis verò (quod absit) huiusce Decreti transgressor deprehensus fuerit, protinus audiendi confessiones facultate priuetur; & præter hoc etiam vtraque voce ad decennium priuatus existat.

Fratres autem bis in hebdomada per totum annum, vel etiã pluries, si voluerint, & eorum Prælatus expedire, & opportunum esse censuerit, eisq. subinde facultatem dederit, communicent: Primùm verò secundùm Apostolicum monitum, & documentum se ipsos per quàm diligenter probare studeant; ex vna quidem parte suam exilitatem, & inanitatem, atque indignitatem, ex altera verò nobilissimum Dei munus nobis tanta cum charitate donatum, perpendentes; ne illud in suarum animarum præiudicium, sed potiùs ad luminis, gratiæ, ac virtutis augmentum accipiant.

Hoc porrò altissimum, ac diuinissimum Sacramentum, in quo tanta dulcedine Saluator noster nobiscum iugiter habitare dignatur, in omnibus nostris Ecclesijs, in mundissimo loco teneatur, & ab omnibus in summa reuerentia habeatur: atque in eius conspectu astent, & orent perinde ac si cum Angelis sanctis in cœlesti patria diuersarentur.

Si qui verò Fratrum suadente inimico lætaliter in illa lapsi fuerint peccata, de quibus inter Fratres statutum est, vt ad solos Prouinciales recurratur; ad ipsos, quàmprimùm si id absque sui nota, & infamia, ac commodè præstare poterunt, cum omni humilitate, ac contritione recurrant: omnem in ipsis fiduciam habentes. Et Prælati quidem illos, si reuera contritos, & humiliatos, firmumq. se emendandi habere propositũ, & ad condignam subeundam pœnitentiam paratos viderint, cũ dulcedine Christi nostri veri Patris, & Pastoris exemplo excipiant, eo planè modo, quo & Filius Prodigus à pijssimo Patre susceptus fuit, & sic ouem perditam vnà cum Christo suis humeris in Angelicum ouile cum gaudio reportare conẽtur, illius Sanctissimi Patris Nostri Francisci dicti, ab eo frequentiùs repetiti, memores. Nos, si quempiam, qui ceciderit, erigere velimus, per pietatem prius nos inclinari oportere, quemadmodum & Christum pijssimum Saluatorem fecisse legimus, cũ ad eius conspectum adultera fuit adducta, non autem duros, ac iustitię seueritate rigidos præbere; quin potius cogitare, dul-

cissimum Dei Filium, vt nos saluaret, è Cælo in terram descendisse, ac demum super Crucem mortuum esse, & peccatoribus humiliatis omnem semper (quoad eius fieri poterat) humanitatem exhibuisse: Vnde & Petro, quem vniuersalem Ecclesiæ suæ pastorem præficere disposuerat, dixit, se velle vt peccanti dimitteret septuagies septies: & noster Seraphicus Pater in quadam sua Epistola scriptum reliquit, hanc suam fuisse voluntatem, vt Frater quantumuis magnus peccator esset, coram suo Prælato constitutus, ab eo sine misericordia, si illam quidem humili corde quæreret, non recederet: & si etiam illam non peteret, ipsemet Prælatus eam illi offerret: & si deinceps millies in illius conspectum veniret, nunquam se illi iratum, vel illius peccati memorem ostenderet: quinimmò, vt illũ ad Christum nostrum pijssimum Patrem faciliùs traheret, ex corde in veritate diligeret. Quapropter secundum Regulam nostram, cum misericordia illis pœnitentiam adiungant, & hanc quidem illis iniungentes, cogitent, quòd si Deus cum rigida, ac seuera iustitia nos iudicare vellet, pauci, aut nulli saluarentur: Atque idcircò mentis oculum ad Fratrum animas saluandas, non autem perdendas apertum habeant.

CAPVT VIII.

QVONIAM Prælati Christiani iuxta humilis Domini nostri Saluatoris doctrinam non debent esse vt Gentilium Principes, qui in dignitatibus constituti extolluntur, sed potius eò magis demitti, & humiliari, quò grauius suis humeris onus esse impositum cognouerint, hinc illos cogitare necessè erit, quòd vbi alijs Fratribus Prælatis suis obtẽperandũ est, ipsis vicissim cunctis Fratribus in omnibus eorum necessitatibus, præsertim spiritualibus (vt illis à Regula mandatur) seruiendum, ministrandumq. est, ad Christi exemplum, qui seruire, ac ministrare, & animam suam pro nobis ponere venit. Quapropter cunctos nostros Prælatos hortamur, vt omnium suorum Fratrum ministri sint, ac serui: id quod quidem reuera in effectu præstabũt,

si

ſi ſuis ſubditis iuxta Seraphici Patris doctrinam, exemplo ac doctrina ſpiritum, & vitam miniſtrauerint.

In omni electione, ſimpliciter, ſanctè, & canonicè procedatur: Atque vnuſquiſque enitatur iuxta Chriſti pij Domini noſtri conſilium, cùm ad illius nuptias vocatus fuerit, in vltimo loco cum ipſo recumbere, non autem in primo cum Lucifero, optimè ſciens, quòd nouiſsimi erunt primi, & primi nouiſſimi quin potius dignitates cum Chriſto fugientes, ipſas non recipiant niſi à Deo tanquam Aaron per ſanctam obedientiam vocati fuerint.

Quoniam verò Partes, & Factiones eſt morbus, & malum contagioſum, peſtilens, & diabolicum, quod ad Religionum perniciem ſerpit, & exterminium: Quapropter, vt his nunquã in noſtram Religionem aditus pateat & introitus: ſtatuimus, vt Adm.R.P.Generalis, ſi in aliqua Prouincia (quod abſit) quempiam Fratrum factioſum, qui Fratres ſeditioſo ambitu in Partes diſiungat, ac ſeparet, ipſamq. Partium factionem foueat, alat, & nutriat, hunc, etiam ſi Guardianus ſit, aut Diffinitor, vel Prouincialis, propria pulſum Prouincia, & omnibus alijs pœnitentijs ſuæ culpæ grauitati proportionatis comitatum in aliena & remota exulare iubeat: Et quicũque præterea Fratrum de Factionibus, & Partibus ſermonem habuerit, hunc, vel illum Fratrem eſſe vnius, aut alterius Factionis aſſerens, aut innuens, vel ſignificans, hunc Pater Guardianus pro prima vice publica in Refectorio per Miſerere diſciplina plectat: pro ſecunda autem vice, vltra diſciplinam, panis & aquæ ieiunio in terra, mulctet: pro tertia verò vice alias grauiores pœnas adijciat. Et ſi præterea non reſipuerit, ſed in ſua peruicacia obfirmatus perſtiterit, carceris ſupplicium ad eiuſdem Patris Prouincialis arbitrium experiri cogatur.

Quinimmo & illud inſuper ſtatutum eſſe decernimus, vt ſi nonnunquam contingat huiuſmodi factionarios, de factionibus & partibus loquentes, non poſſe plurium teſtium eiuſdem rei ſimul conſciorum teſtimonio conuinci, volumus nihilominus vt ex ſola quatuor teſtium integritate ſingularium, & fide dignorum teſtatione, vtriuſque vocis priuatione per ſex annos puniantur; cui ſanè pœnitentiæ & Patres Guardiani in Patrum Prouincialium Viſitationibus, & hi inſuper in Capitulis, atque

etiam in Patris Generalis Visitationibus, si eiusdem criminis rei fuerint, obnoxij sint.

Deinde verò cunctis Fratribus, Decreti contra subornatores, à fel.mem. Clem. VIII. editi, & à Sacra Concilij Congregatione D.N.VRBANI VIII. auctoritate innouati recordationem, ac memoriam suggerimus, & renouamus: quo quidem omnes non solùm directè, sed etiam indirectè vocum, seu suffragiorum procurationes tàm pro se ipsis, quàm pro alijs, tùm in Capitulis locorum, tùm in cæteris, præsertim generalibus, interdicuntur & inhibentur: simulq. præterea decernitur, vt huius culpæ rei, præter alias pœnas, & censuras contra huiusmodi ambientes aliàs inflictas, in pœnam priuationis officiorum quibus perfunguntur, eò ipso incidant, & ad futura quæcumque pariter inhabiles habeantur (super hoc à nemine nisi à Sede Apostolica dispensandi,) & pro qualitate culparum grauiùs etiam plectantur. Vbi denique & illud sancitur, vt supradictæ omnes pœnæ ad complices, ac simpliciter scientes & non reuelantes extendantur.

Cunctæ nostrorum Capitulorum Generalium, Prouincialiũ, ac Localium electiones per vota secreta in schedula conscripta fiant: nimirum, vt vnusq. eligẽtium accepta pagella, seu chartula, in infima eius parte suum nomen scribat: eaq. deinde parte ne in ipsius nominis cognitioné veniatur, bis complicata, & cera annexa, super illam partem complicatam, & iuxta illam pro suo beneplacito aliquod nomen cum aliquo signo scribat, & tertia insuper addita complicatione, qua nomen illud & signum tegatur, in superiori præterea illius schedulæ parte, nomen vel nomina eorum, quos vult eligere scribat, & totam denique schedulam complicet, & cera conglutinet: atque hoc modo dispositam, & aptatam coram Compromissarijs scrutatoribus, omnibusq. vocalibus in vas, quod vnus ex Compromissarijs scrutatoribus manu tenebit, mittet: quam deinceps alius Compromissarius scrutator duobus digitis apprehensam, & inde eductam, palàm in vas ad id muneris paratum immittet. Si autem in eligentium numero sint, qui scribere nesciant, hi voce viua, & secreta suum suffragium ferant: ita scilicet vt eligentium nomina, iuxta sacri Conc. Tridentini præceptum, minimè publicentur. Nec liceat absentium voces, & suffragia

sup-

ſupplere. Si quis verò contra huius Decreti Conſtitutionem ad aliquod officium electus fuerit, eiuſmodi electio irrita ſit, & nulla.

Quoniam verò omnes noſtræ Generalium, Prouincialium & Localium Capitulorum electiones iuxta veterem noſtræ Religionis conſuetudinem à principio ſuæ originis vſque in præſentem diem perenni, & continuato vſu, ac exercitatione in ſuo ſemper robore, ac firmitate ſeruatam, per limitatum fiunt Compromiſſum; Ideò declaramus in Diſcretorum electione, duos ſufficere ſcrutatores; atque hos quidem non neceſſariò ex familiæ corpore aſſumendos eſſe, ſed in aliquo Conuentu ex alia familia aſſumi poſſe. Quò verò ad Generalia, & Prouincialia Capitula: ſtatuimus, vt tres ſint ſcrutatores, ex corpore Capituli eligendi, præterquam in Guardianorum delectu, ac prouiſione, in qua quidem, cùm in ſcrutatores tres Fratres ex ijs, qui eo tempore ad Guardianatum paſſiuo ſuffragio non concurrunt ſunt aſciſcendi; hi vel ex vocalium, vel ex Fratrum non vocalium numero aſſumi poterunt.

Statuimus præterea, ne in publicatione ſcrutiniorum, quæ in electione Adm.R.P. Generalis, Patris Procuratoris, Patrum Diffinitorum Generalium, Miniſtrorum Prouincialiū, ac Diffitorum Prouincialium fiunt; illorum, qui quinque ſuffragia non exceſſerint nomina exprimantur, ſed vt ſolùm dicatur. Pater F.N. ex N. vnū ſuffragium. Pater F.N. ab N. duo ſuffragia. Pate F.N. ab N. tria ſuffragia &c. Idq. propterea ſtatuitur, ne ſi fortè fortuna ambitio in noſtram vnquam irreperet Religionem (quod Deus auertat) illi Patres, qui ambitus vitio ſauciati, ſibi quicquam in electionibus arrogarent, & præſumerent, ſua nomina in ſuffragiorum publicatione ſilentio præteriri (vtpote quòd nullum ſortiti ſunt ſuffragium) vel certè cum vnico tantùm ſuffragio exprimi animaduertentes, aliqua animi perturbatione, vel ſimultate, odio, aut indignatione erga aliquem ſuorum Conuentuum, vel Prouincialium vocalium, cuius ſuffragium ſibi polliciti eſſent, aut ſibi dandum ſperaſſent, afficerentur: Et ne præterea quiſpiam Patrum vocalium veritus, ne palam fieret, ſe ſuo Patri Guardiano, Prouinciali, Tribùli, ſeu Conterraneo, eiuſdemue gentis, & nationis, aut ſimilibus, ſuffragium non dediſſe, humano aliquo, mundanoue reſpectu

cor-

correptus ad ferendum contra suam conscientiam suffragium trahehetur. Similiter si quisquam in alijs Capitulis, cunctis fuerit suffragijs electus, eius nomen, cui Pater electus suum dedit suffragium in scrutinij publicatione non proferatur; sed solùm dicatur P.F.N. ex, vel ab N. vnum suffragium.

Vniuersis porrò Fratribus compertum esse volumus, necessè esse, atque id itidem satis, superq. esse, vt eligendus maiorem suffragiorum partem sortiatur.

Quandocumque verò contigerit, electum vnico tantummodò suffragio dimidiam excedere partem, tunc Scrutatores electum de suo schedulæ signo perscrutentur, vt eo inuento explorent, nùm sibimetipsi, an alij suffragium dederit. Et si quidem sibimetipsi suffragium dedisse deprehensus fuerit, vtroque suffragio in perpetuum priuatus existat. Quam sanè diligentiam si electionis Præses adhibere neglexerit; si sit vocalis, disciplinæ flagellationem in Prouinciali Capitulo subeat; sin autem vocalis non fuerit, dupplicatæ flagellationi in publico Refectorio sit obnoxius: electio porrò valida erit, si tempore quo fuit peracta, nulla contra ipsam facta fuerit oppositio, nec quisquā institerit, vt electi schedula exploraretur. Supponendum quippe est, hoc per eum non stetisse, ac bona fide rem actam fuisse.

Admonemus autem Fratres in omni electione sub lethiferi criminis pœna meliorem, & ad illud officium, cuius gratia ea fit electio, magis idoneum, quouis alio posthabito respectu, deligendum esse. Et in ipso tàm localis, quàm Capitularis electionis actu, nullius vocis seu suffragij renuntiatio recipiaur; sed omnes concurrant. Si quis verò Fratrum pertinaciter nolit concurrere; tunc in eodem Capitulo se coram alijs vocalibus flagellet, atque eandem flagellationem singulis septem sequētibus diebus mane in Refectorio per Miserere repetat.

Antequam verò aliqua quæuis electio fiat secundum Clementis VIII. Decretum, electoribus iurandum erit, se illos electuros, quos iuxta suæ conscientiæ iudicium respectiuè, probiores, ac magis idoneos duxerint, ac existimauerint: ac propterea priusquam ad electionem deueniatur, in primis & ante omnia, vt idem Pontifex in illo ipso Decreto statuit, prælegendæ sunt Constitutiones de qualitate, & requisitis eligendorum. In quo sanè Decreto, & hæc verba summopere aduertenda habentur.

bentur: Ad officia, gradus, & Prælaturas illi præcipuè eligantur, qui possint, & consueuerint Regulas Ordinis, & Constitutiones obseruare; præsertim quæ pertinent ad seruitium Chori, ac vestitum, & victum communem: Quapropter & nos in huius rei confirmationem statuimus ne in Generalibus comitijs passiuorum suffragiorum participes & capaces sint illi Fratres, qui de graui aliquo crimine delati, & iudicati, atque sententia damnati, pœnas pertulerint.

Et vt præterea nostri Iuuenes cum maiori quiete, ac simplicitate spiritui recens concepto conseruando, & augendo operam, & studium nauent, statuimus ne ad vllam electionem neque actiua, neque passiua voce concurrant, Clerici quidem quoadusque, & in Subdiaconatus ordine saltem, iuxta sac. Conc. Trident. dispositionem constituti fuerint; Laici verò donec septennium in Religione (vt in Breui D. N. VRBANI VIII. decernitur) excesserint. *Seß. 22. cap. 4. de reform.*

Prouincialia Capitula singulis annis secunda, vel tertia Feria sexta post Resurrectionis Pascha, vel in alio anni tempore penes Prouinciarum consuetudinem celebrentur, ad omnem verò de medio remouendam suspicionem statuimus, ne vlla cuiuspiam Fratris per duos menses dicto tempori proximos, absque magna, & manifesta necessitate fiat loci mutatio: Et si nonnunquam aliquem omninò mutari, & ad alium locũ transferri oportuerit, is electionis tempore ad locum, in quo priùs moratus est, reuerti iubeatur. Caueant porrò Patres Prouinciales, & Diffinitores ne in familiarum dispositione, Fratrumque mutatione quicquam faciant, quod iustam excogitati alicuius consilij, ac deliberationis pro futuris electionibus pariat suspitionem.

Insuper Patres Prouinciales, & Diffinitores curent, vt Fratres (quoad eius fieri poterit) remotè à suis patrijs collocentur, & nonnisi raró, & aliqua tantùm vrgente necessitate illorum annuant petitionibus, qui hoc, vel illud particulare Monasterium sibi incolendum assignari flagitant: Et ipsi quidem Patres Prouinciales difficiles sint omninò in mutandis intra annum Fratribus, neque id absque iustis, & certis causis faciant. Si quis autem in hoc defecisse deprehensus fuerit, hunc omninò

in

in sequenti Capitulo corripiendum, & proportionata pœnitentia mulctandum esse volumus.

Denuntiato autem, indictoq. Capitulo, in vnoquoque Conuentu eligatur Frater in Discretum, qui vnà cum Patre Guardiano iturus sit ad Capitulum, & loci, ac Fratrum particularium indigentiam, & necessitates delaturus, atque in ipso Capitulo vocalis, vt & Pater Guardianus futurus.

Et vt mala & inconuenientia, quæ nonnunquam in Discretorum electione prosilire solent, penitus (quoad eius fieri poterit) auertantur, statuimus, vt si Discretus in quinto saltem scrutinio nō fuerit electus, omnes illius familiæ Fratres, qui vocem in illa habent electione, se in Refectorio per Miserere flagellent; deinde verò Spiritu Sancto rursum inuocato sextum faciant scrutinium, in quo quidem si Discreti non fiat electio, vlteriùs non procedatur, sed illa familia Discreto pro Capitulo proximè sequenti careat.

Socij Ministrorum Prouincialium in loco vbi celebrandum est Prouinciale Capitulum, in Discreti electione vtroque suffragio potiantur: atque idipsum de socijs Patris Generalis in Generalis Capituli loco cùm adesse poterunt, intelligitur.

Concionatores, cùm in Quadragesima non nimis longè ad prædicandum iuerint, ad suum locum ad faciendam Discreti electionem redeant: si verò tàm longè profecti fuerint, vt ad præfinitum electionis tempus reuerti nequeāt, aut hoc sibi difficile fore putent, in propinquiori Ciuitatis, in qua conciones habuerint, suæ Prouinciæ loco vocem habeant.

Fratres autem, qui pedibus iter aggredi nequeūt, in Discretos ad Prouinciale Capitulum ituros non eligantur, nisi fortè Capituli immediatè peracti sint actu Diffinitores: ob quam pariter causam neque illi, qui vel podagra, vel alia quauis infirmitate præpediti, ad ambulandum sunt inhabiles, fiant Guardiani; vtique quòd ad Capitulum ire non debeant, si pedibus incedere non valeant: Quicumque autem tàm Guardiani, quàm Discreti, qui ad Capitulum vel equitando, vel curru vecti perrexerint, in eo Capitulo vtraque voce priuati existant, nisi fortè (vt dictum est) actu sint Diffinitores: quos sanè, cùm compertum fuerit, habitualem pro maiori anni parte habere ad

am-

ambulandum impotentiam, non amplius Guardiani fiant, nec iterum in Diffinitores eligi possint.

In Prouinciali Capitulo quatuor eligātur Diffinitores, quorum duo ad summum ex illis, qui in præcedenti Capitulo fuerunt delecti, possint esse: & in hac quidem electione passiua suffragia habeant cuncti Vocales in Capituli loco præsentes: atque in ea electione Prouinciales Ministri actiua voce concurrāt.

Facta porrò Diffinitorum electione, statuimus, vt Prouinciales in humilitatis signum & argumentum, & ad declarandam animi sui synceritatem, & ab omni ambitus specie alienationem, & disiunctionem, liberè suum officium, & omnem auctoritatem in Diffinitorum à Capitulo electorum manus renuncient, ac deponant, atque in perfectæ abdicationis, resignationisue testimonium, sigilla in eorum manus tradant, se de suis erratis, ac defectibus palàm coram omnibus in Capitulo accusantes, suamq. culpam dicentes: Id quod pariter, & illi præstabunt, qui pro tempore propter Patrum Ministrorum Prouincialium absentiam, aut mortem Prouinciales Vicarij extiterint. Deinde verò ipsi Patres Diffinitores in Diffinitionis locum simul conuenientes, cunctos Vocales visitent: & auditis omnibus, exceptisq. articulis, ac quærelis contra dictum Patrem Prouincialem delatis, ipsum accersant, vt ijs, quæ illi opponuntur, respondeat: debitaq. deinceps facta articulorum, ac responsionum ab eodem Patre articulis sibi obiectis datarū, disquisitione, ac expensione, seu ponderatione, inter se consulent, ac decernant, quænam verba in eius culpa audienda sint adhibenda, quæue pœnitentia illi imponenda. exinde ad executionem venient, secundo quidem Diffinitore palàm in Refectorio articulos, & quærelas; tertio autem responsiones recitante; primo verò Diffinitore repetitiones referente, ac replicationes iam à tota Diffinitione stabilitas, & pœnitentiam ibidem, vt supra, constitutam, ac designatam pronunciante. His demum peractis ad Ministri Prouincialis electionem procedatur. Atque idem modus secundùm proportionem in Generalibus Capitulis, in Patris Procuratoris, & Patris Generalis disquisitione obseruandus erit, hoc tamen intercedente discrimine, quòd Patris quidem Procuratoris culpa à Patre Generali tunc à Generalatus officio vacante, vnà cum præcedentis Ca-

pituli Diffinitione adhuc in pristina sua manente potestate, a Patris verò Generalis tunc cessantis culpa à Patre Generali sua accerens electio, nouisq; Diffinitoribus audienda sit; Quemadmodum itidem tùm nouus eligitur Prouincialis, ab eo vna cum nouis Diffinitoribus veteris Prouincialis culpa audiatur, legente primo Diffinitore articulos, Secundo responsiones, & P. Prouinciali repetitiones, ac pœnitentiam præscriptam.

Quoniam verò in sacris Concilijs, Pontificijsq; decretis expresse præcipitur, & mandatur, vt meliores, & magis idonei deligātur; vnum autem ex potioribus medijs, quo semper Religio ad meliores, ac magis idoneos, (quoad eius fieri potest) dispiciendos, discernendos, ac dijudicandos vti consueuit, est publica disquisitio, & inuestigatio, vt ex ea constat, quæ in Patrum Prouincialium, Patris Ordinis Procuratorem, & ipsius Patris Generalis personam, vt præmissum est, inquiritur; Idcircò statuitur, vt etiam Patres Diffinitores tam Generales, quam Prouinciales disquisitioni iuxta præscriptionem continuò subijciendam, subiaceant. Pridie igitur ante Patrum Diffinitorum generalium electionem in cunctis Patribus Vocalibus in Refectorio vnà congregatis; quatuor Patres Vocales ex indifferentioribus, obseruantioribus, & in seruando secreto magis fidis, qui in illo Capitulo habeantur, & actu quidem non sint Diffinitores, secretis suffragijs deligantur, hisque in virtute sanctæ obedientiæ præcepta fidelitate, ac secreti obseruantia Pater Generalis vnà cum illis in Diffinitionis, aut alium conuenientem locum sese conferet, & ibi omnium Vocalium visitationem facient, eaq; peracta, & cunctis articulis contra præsentes Patres Diffinitores delatis, exceptis, eosdem Patres Diffinitores singillatim vnum post alium aduocabunt, vt obiectis sibi articulis respondeant: Deinde verò ipsis articulis cum responsionibus eisdem adhibitis conquisito libratis examine, ac consultatione, & exinde quid in audienda eorum culpa dicendum, quaue pœnitentia plectendi sint, facta deliberatione, eosdem palam in Refectorium accitos, Maior ex illis quatuor Patribus, articulos leget, Secundus responsiones recitabit, & Pater Generalis reliqua in eorum culpa, & præscribenda illis pœnitentia prosequetur. Idipsum in Prouincialibus Capitulis seruabitur, pridie scilicet electionis diei Prouinciales Diffinito-

res præcedentis Capituli dictæ exponendo inquisitioni, ac censuræ, & Patre Prouinciale omnia secundum proportionem, quæ in Generalium Diffinitorum in Generali Capitulo censura, & conquisitione obseruanda præscribuntur, exequente, exequutioniq. mandanda curante.

Statuimus præterea, ne illi qui pedibus ire, & incedere nequeunt, in Prouinciales Ministros eligantur.

Facta verò Prouincialis electione, Patres Diffinitores Capituli nomine, secundum Clementinam pro illius confirmatione ad Adm. R. P. Generalem mittant, aut scribant: Interim verò quoad responsum venerit, officium vt Minister electus, exequi possit, dummodo in ipsa Prouincia hæreat. Si in autem extra illam fuerit, cùm ad ipsam aduenerit, illud exercere valeat. Exacto autem triennio in ipso Prouincialatus munere, in eadem Prouincia ad idem officium iterum eligi, aut confirmari, nisi lapso altero triennio minimè possit; quinimmò & in ipsa eadem Prouincia ab omni Prælationis munere per annum vacet. Sin autem in alia Prouincia ad idem Prouincialatus officium iterum eligatur; poterit ipsum per aliud triennium obire; eo porrò exacto, cesset & vacet, vt supra, nimirum vt in nulla Prouincia ad Prouincialatus officium iterum eligi nequeat, nisi alterum intercedat triennium.

Cùm quispiam alterius Prouinciæ Patrum ad Prouincialatus officium delectus fuerit; Patres Diffinitores Capituli propter Prouincialis absentiam poterunt Guardianos cunctis Prouinciæ Monasterijs præficere & substituere; ac reliqua omnia Capitularia munia exequi, & perficere. Et siquidem Prouincialis in Prouinciam, in qua fuit electus, priusquam ab Adm. R. P. Generali confirmationem recipiat, aduenerit: nullo modo officio fungi possit nisi expectata, & recepta ab Adm. R. P. Generali, vel si Pater Generalis vltra montes sit, ab Adm. R. P. Procuratore, cõfirmatione. Atque idipsum de Patribus Prouincialibus vltra montes commorantibus, qui in aliquâ alia Prouincia in illis partibus constituta ad Prouincialatus munus eliguntur, dicitur: nimirum, quòd ipsi quoque, Patris Generalis responsum, & confirmationem prius expectare debeant, quàm officio perfungi: si quidem & ipse Pater Generalis in eisdem Regionibus commoretur: nam si citra montes fuerit,

tunc antequam responsum perueniat, & confirmatio, officium subire, & exercere poterunt.

Si porrò contingat aliquem Patrem Prouincialem ante Capituli terminationem, ac dimissionem extremum diem obire; tunc noui Prouincialis ineunda erit electio, atque idipsum faciendum erit, si quis ex Patribus Diffinitoribus, vel Patribus Custodibus pro Generali Capitulo electis, è vita excesserit; tunc si quidem Capitulo nondum soluto & dimisso, alius Diffinitor, & Custos eligendus erit: per Cap. si electio. de Electione in 6. Simili modo si alicuius familiæ Discretus, priusquam iter ad Prouinciale Capitulum aggrediatur, de vita migret, tunc si Pater Prouincialis certior fieri possit, & illius responsum, quid nam sit agendum, expectari, ad illum scribatur, ac responsum expectetur; sin autem ob temporis angustias, & locorum distantiam expectari non possit, & familia sit congregata, alterius Discreti electio fieri poterit.

Cùm Ministri Prouinciales à sua Prouincia ad Generale Capitulum profecturi, aut alias literas obedientiales executuri abscesserint, si expedire censuerint, Vicarijs Prouincialibus, quos sibi in Prouinciæ administratione subrogant, & substituunt, facultatem Nouitios recipiendi tribuere; hanc illis in scriptis relinquant, quæ deinceps in libellum ad futuram rei memoriam referatur.

Vt autem modus Guardianorum institutioni, seu prouisioni conueniens, atque adeo expediens assignetur, & præscribatur; declaramus Patres Ministros cum Patribus Diffinitoribus (peracta Discretorum, & Guardianorum visitatione) primùm quidem posse inter se conferre, ac consultare, qui nam sint excludendi, & reijciendi; deinde verò ad dictam Guardianorum prouisionem hoc modo progredi.

Primò quidem Pater Prouincialis, & Patres Diffinitores antequam quicquam moliantur, coram tribus, aut quatuor Patribus ex senioribus ex corpore, & numero Vocalium iurent, dicendo: *Testor Christum, qui me iudicaturus est, me secundum Deum, & secundum conscientiam, electurum quem meliorem, & magis idoneum iudicauero ad Guardianatum*: Deinde verò electiones fiant per schedulas in publico Refectorio eo modo, quo & reliquæ omnes aliæ electiones peragi solent: quæ sanè sche-

dulæ

dulæ priusquam aperiantur, ac legantur, numerandæ erunt, nũ eligentium numerum vel excedant, vel non assequātur, & exæquent, siue plures, aut pauciores. Id quod quidem si vnquam contigerit, continuò ita adhuc occlusæ igni comburendæ tradantur, & rursum redintegretur electio. Facta autem electione, si nullum occurrat impedimentum, aut difficultas, Scrutatores coram duobus Patribus Vocalibus ex Capituli dignioribus, Patres Guardianos electos, (illi autem erunt quibus maior suffragiorum pars obuenerit) Patri Prouinciali, & Diffinitoribus palam facient. Sin autem aliquod in dicta Guardianorum electione acciderit impedimentum, aut difficultas; puta si suffragiorum æqualitate plures fuerint electi, quàm Prouinciæ locorum numerus exigat (illorum namq. Patrum electio, quæ pluribus suffragijs constat, firma semper, & stabilis manere debet) tunc Pater Prouincialis, & Diffinitores, ac Pater Generalis, quādo illic adesse contigerit, simul conuenient, & diligentiùs, accuratiusq. non solum expenso diuturnioris, seu antiquioris in Religionis professione temporis discrimine: sed etiàm habito iudicio, ac delectu qui nam ex ipsis Patribus ad Guardianatus subeundum munus meliores, & magis idonei videantur: denuò possunt electionem instaurare, & vsque ad quintum (ad summum) scrutinium iterare, vt par & sufficiens Monasterijs numerus deligatur; & deinde modo superiùs præscripto publicentur. Quòd si nec in quinto quidem scrutinio conuenerint; tunc Religionis antiquitas est obseruanda, illisq. primæ deferendæ, qui Religionem priùs sunt ingressi.

Aduertant præterea electores, vt maiorem schedularum numerum secum habeant, quàm sint Guardiani eligēdi, vt si primum scrutinium irritum, & inane euaserit, aut in illo non omnes fuerint delecti, singuli nouam schedulam in promptu habeant ad aliud renouandum, quoad eligendorum numerus compleatur, nę seorsum ad iterum scribendum secedere cogantur; Atque hoc quidem idcircò admonendum duximus, vt omnis è medio mali suspicandi pellatur occasio. Quoad verò Guardianorum numerus compleatur, scrutinium cum Patribus à Scrutatoribus, vt supra præmissum fuit, communicetur. Et numero denique completo, & absoluto scrutinium proferetur, non quidem toti Capitulo, sed supradictis Patribus dumtaxat.

Ca-

Capitulo autem deinde publicabuntur; non sanè quidem vllo modo scrutinia; sed Patres Guardiani electi tantummodo vnà cum Capitularibus tabulis.

Volumus insuper, vt supradictæ schedulæ ab aliquo, qui non sit ex corpore Capituli, scribantur, & magnitudine sint æquales & vniformes, & ita clausæ & complicatæ, vt dantis suffragium dispici nequeat.

Vlteriùs & illud eorum menti infixum sit, vt Scrutatoribus, & duobus prænominatis Patribus Vocalibus, in virtute sanctæ obedientiæ præcipiant, ne vllo modo de prædictorum Guardianorum electionibus, quoad diuulgentur, loquantur: & ne præterea (& hoc quidem longè adhuc minus) Patres, qui plura, vel paria in facto scrutinio habuerint suffragia, manifestet, quinimmò neque etiam, donec Capituli tabulæ in publicum propositæ fuerint, hunc, vel illum factum esse Guardianum patefacient. Declaratur autem Patres Diffinitores actu existentes, qui in hac electione quatuor tantùm suffragia habuerint, perinde censeri, ac si quinque adepti fuissent, cùm sibimetipsis suo voto suffragari nequeant.

Denique & illud perspectum, & planè cognitum esse volumus, electorum quemlibet, qui scienter, dataq. opera in dicta electione fraudem fecerit, ne scilicet iustè, ac legitimè fiat, plures schedulas, quàm opus sit addendo, aut aliquas ex necessarijs subtrahendo. *Facto verbo cum Sanctissimo* in casum Patri Generali, si sit præsens; vel in eius absentia Patri Prouinciali reseruatum incidere, & talis quidem conditionis vt Confessores se pro pœnitentibus præsentare nequeant.

Facta Guardianorum prouisione, fiat pariter & Custodum, vt antiquitus in Ordine fieri vsu venerat, atque in proprijs Custodialibus locis, aut in alijs intra Custodiæ tractum collocentur, qui aliquo graui & vrgente casu in suis Custodijs contingente, & Ministri Prouincialis præsentia tunc haberi non possit, curam & operam suscipiant, & rei occurrenti vt ipsis æquũ, ac expediens visum fuerit, consulant, & prospiciant. Habitaque deinde, & inita inter se cõsultatione, & deliberatione Guardianos in locis, qui sibi magis conuenire videbuntur, collocent, ac distribuant. Si porrò Guardianorum quispiam aut per semetipsum, aut alterius opera, & officio particularem Conuen-

uentum, aut aliquem particularem Fratrem pro sua familia depoposcerit, non facilè exaudiatur. Et quoniam insuper nonnullæ Prouinciæ in insignibus, & principalibus Ciuitatibus aliquos habent Conuentus; ad omnem suspicionem prauumque iudicium propulsandum, poterunt (si id illis rectum videbitur) per secretum scrutinium facere in dictis locis Guardianorum collocationem: id quod denique, & in cæteris alijs rebus, de quibus aliqua inter ipsos orietur dissensio, obseruabunt. Facta autem Guardianorum in proprijs locis collocatione, in eisdem similiter & familiarum distributionem faciant. Si verò contigerit, aliquem Guardianum citra sex menses ante Capitulum deficere, aut mori, nullus alius Guardianus eius loco fiat. Sin autem ante sex menses deficiat; alius in eius locum modo superiùs exposito sufficiatur.

Eodem planè modo si aliquis Prouincialis sex menses ante Capitulum, extremum vitæ spiritum ediderit, & Diffinitor in Vicarij Prouincialis officium illi substituendus, fuerit Guardianus: ipse vnà cũ reliquis Diffinitoribus, alterius Guardiani electionem inibit, illumq. sibi subrogabit, sua vice Guardianatus munere perfuncturum. Verùm si Patris Prouincialis obitus citra sex menses ante Capitulum accidat; tunc Pater Vicarius Prouincialis alium in sui Guardianatus Conuentu cõstituet Vicarium. Et si fortè cùm intra annum in aliquod Monasterium nouus substituendus est Guardianus, quisquam ex Diffinitoribus, siue ob locorum distantiam, siue aliam ob causam, in absentia constitutus nollet ad dictam faciendam prouisionem vnà cum alijs conuenire, & concurrere: is (vt modò declarauimus) neque per litteras, neque per Procuratorem suum poterit munus supplere; sed ipso iuri suo cedente, Pater Prouincialis, & alij Diffinitores congregati, dictam poterunt facere prouisionem. Qui autem primò ad Guardianatus officium assumpti fuerint, in Patris Prouincialis manibus, iuxta sacri Conc. Tridentini Decretum, orthodoxæ suæ fidei publicam faciant professionem. *Seß. 24. c. 12. de reform.*

Guardiani porrò ad eiusmodi administrandum officium in eodem loco, solùm ad triennium deligi possint; in alio verò loco collocati, eodem munere per aliud triennium defungi valeant: Exacto autem in Guardianatus officio sexennio, ab omni

ni

ni huiusmodi munere per annum vacent. Per hoc autem non interdicitur, ne dicti Guardiani eo lapso tempore in Ministros Prouinciales, & etiam in Generalem deligi possint.

Quoniam verò Prælati suis subditis magis operibus, quàm verbis duces, & norma esse debent; statuimus, ne quispiam Fratrum, qui ordinariè cum alijs Fratribus die, noctuq. ad Chorum concurrere, & ad Refectorium conuenire nequeat, & notabili specialium ciborum indigentia prematur, vllo modo Guardianus fiat, aut Nouitiorum curæ præficiatur.

Quoad Generale Capitulum; statuimus, vt iuxta Pauli V. Bullam singulis sexennijs fiat in Festo Pentecostes tanto negocio accommodatissimo, & à nostro Seraphico Patre in Regula designato. Et in anno, in quo dictum Capitulum est conuocandum, Custodes à Vocalibus Prouincialis Capituli deligentur: alijs annis solis Patris Prouincialis, ac Diffinitorum eligendi suffragijs, & in locis Custodialibus, vel in ipso Custodiæ ambitu, & complexu collocentur. Et primò quidem primus Custos, à quo Ministri Prouincialis tùm cessantis defectus vnà cum Prouinciæ necessitatibus ad Generale Capitulum deferendi sint, singulari scrutinio deligatur. In quo sanè scrutinio hic solus eligatur, & dictus Minister passiuo careat suffragio. Deinde verò in alio scrutinio reliqui omnes Custodes simul eligantur, & in hoc scrutinio supradictus Pater Minister Prouincialis passiuo suffragio itidem frui nequeat. Et dicti quidem Custodes in Generali Capitulo sint vocales, quemadmodum & Prouinciales, quinariumq. numerum non excedant, & tribus minus non sint, exceptis Siciliæ, & Corsicæ Prouincijs, & quæ præterea vltra montes sunt, & etiam diuisæ, quæ iuxta priscam consuetudinem hactenus in ordine perpetuò obseruatam, duos tantùm deligent Custodes; & ita quidem omninò esse in posterum obseruandum ab Eminentissimis DD. Cardinalibus; & alijs Prælatis ad hoc deputatis definitiua fuit pronuntiatum sententia à Sanctitate deinceps D. N. VRBANI VIII. suo particulari Breui stabilita, & confirmata, atque ex eius præcepto perpetuò super hac ipsa materia imposito silentio.

Custodes autem ad Capitulum Generale ituri non eligãtur, qui pedibus pergere nequeunt, illis exceptis, qui Diffinitores

Ge-

Generales actu fuerint, in præcedenti Capitulo electi. Id quod pariter, & de Prouincialis Capituli Diffinitoribus dicitur. Si quis autem, qui pedibus viam progredi nõ valeat, electus fuerit, & curru vectus, aut alio modo minimè conuenienti vsus, iter confecerit, in eo Capitulo vtroq; suffragio priuatus existat. Ante Custodum electionem verò Pater, qui Prouinciæ Vicarius remanebit, non nominetur, nec proponatur. Qui sanè Vicarius à Patre Ministro Prouinciali eligendus erit, duobus, aut tribus alijs Patribus, qui magis idonei visi fuerint, vnà cum illo pariter electis, vt si primus moreretur, secundus subrogetur, & hoc etiam ex humanis erepto, substituatur tertius, vtique ne Prouincia ob Ministri Prouincialis discessum & absentiam absque capite relinquatur. Pater verò Prouincialis vnà cum Diffinitoribus Procustodes, qui Custodum ad Generale Capitulum proficiscentium quoad aberint, vices gerant, ac pro ipsis officium, & partes suscipiant, eliget. Qui sanè, Custodibus in suas Prouincias reuertentibus, iniuncto munere, & officio se abdicabunt.

In Generali Capitulo sex eligantur Diffinitores, quorum tres ad summum ex ijs, qui in proximo Capitulo fuerunt electi, esse possint. Et in hac electione cuncti Vocales, qui in Capituli loco aderint, passiuo potiantur suffragio, & Pater Generalis actiuo: Et ab his quidem Diffinitoribus vnà cum Generali futuro, omnes causæ diffiniendæ, determinandæ, iudicandæq. erunt, & vniuersa dubia in his Constitutionibus occurrentia declaranda, ac enodanda, cunctisq. necessitatibus consulendum, & Prouinciarum Tabulæ disponendæ, ac digerendæ. Admoniti porrò sint Pater Generalis, Generalesq. Diffinitores, se in posterum nouas non posse fundare Prouincias, neque iam institutas diuidere, nisi in ipsis duo de viginti, aut viginti Conuentus extrui possint, & nisi specialis præterea à sancta Apostolica Sede facultas habeatur.

Facta autem Patrum Diffinitorum electione, Adm. R. P. Generalis in eorum manus sigilla deponet, ac renunciabit; & in publico Capitulo culpam dicat, eo planè modo, quo in Prouincialibus Capitulis à Prouincialibus fieri solet, & supra expositum fuit. Quo facto ab omnibus deinceps Vocalibus (inuocato primùm Spiritu Sancto cum solitis ceremonijs) noui Ge-

neralis electio fiet: qui demùm sui officij sexennio transacto, ab omni Prælatione liber per alterum sexennium existat.

Peracta verò Patrum Diffinitorum, & Adm. R. P. Generalis electione; à toto Capitulo ad electionem Adm. R. P. Procuratoris deueniendum erit, & si quidem Pater Generalis ex Diffinitorum numero delectus sit, Pater verò Procurator non item, sed ex Vocalium numerò electus, & ex Capitali corpore, ad septimi Diffinitoris electionem non procedetur, ipso Patre Procuratore tunc septimi Diffinitoris locum subituro. Sin autem & ipse ex Diffinitorum numero electus fuerit, septimus Diffinitor deligendus erit, vt Diffinitorum numerus compleatur, & vota remaneant imparia. Si verò Pater Generalis extra Diffinitionis gremium delectus fuerit, Pater verò Procurator ex eodem sinu sit assumptus, septimi Diffinitoris electio non fiet, cùm Diffinitorum numerus sit perfectus. Casu autem, quòd tàm Pater Generalis, quàm Pater Procurator ex ijs, qui sunt extra Diffinitionis complexum electi sint, Pater Procurator à Diffinitione, cùm iam Diffinitorum numerus in hac nostra Constitutione præscriptus, sit perfectus, exclusus erit.

Idipsum pariter in Prouincialibus Capitulis obseruandum erit, cùm Pater Prouincialis ex Diffinitionis gremio assumptus fuerit; nempè vt Patris Prouincialis electione peracta, quinti Diffinitoris ineatur electio, vt Diffinitorum numerus integer sit. Verùm si Pater Prouincialis ex Diffinitorum numero non fuerit ascitus, quinti Diffinitoris electioni non erit locus.

Adm. autem R. P. Procurator in sequenti Generali Capitulo Vocalis erit, & elapso sexennio ante Generalis Capituli electionem, in publico Refectorio culpam dicet, & ab eodem Procuratoris officio per alterum sexennium vacabit.

Si porrò contigerit Adm. R. Patrem Generalem priusquam suo perfungatur officio, mortem oppetere, decernitur, vt in huiusmodi euentu secundum Pauli III. Bullam, primus præteriti Capituli Generalis Diffinitor sit Vicarius Generalis. quòd si & ipse ante Patris Ministri Generalis decessum, aut certè post susceptum officium, supremum diem egerit, idem munus secundus Generalis Diffinitor iuxta D. N. VRBANI VIII. Breue, subeat, & ita deinceps reliqui omnes: Idipsum similiter obseruandum erit cùm Pater Minister Prouincialis è vita demigrauerit:

uerit: nimirum, vt primus Diffinitor Prouinciæ Vicarius constituatur: eo verò deficiente, aut vita functo secundus subrogetur, & ita de alijs vt supra dictum fuit. Atque is quidem dabit operam, vt præstituto tempore, & vt sibi à Patre Generali Ministro mandatum fuerit, pro noui Prouincialis Ministri electione Capitulum conuocetur.

Præterea si Ministri Generalis è vita decessus priùs contingat quàm muneris sui tempus omninò percurrat; Pater Prouincialis illius Prouinciæ, in qua vitam dimisit, Patrem Ordinis Procuratorem quàmprimùm certiorem faciat; qui statim iuxta D. N. VRBANI VIII. Breue Generale Capitulum pro noui Ministri Generalis electione aduocare tenebitur, & interim supradictus Pater Prouincialis sigillum cum scripturis, & alijs Patris Generalis defuncti rebus per Patris Consultoris manus mittet ad illum Patrem Diffinitorem Generalem, qui (vt supra dictum est) Vicarius Generalis substitutus fuerit: & qui præterea absque alia electione in Generali Capitulo actiui, & passiui suffragij facultatem habebit. Eodem planè modo cum proportione ille Pater Diffinitor Prouincialis, qui Prouinciæ Vicarius ob Prouincialis Ministri occasum extiterit, etiam si actu Guardianus non sit, absque alio ad Discretatum concursu, actiua & passiua voce in Capitulo immediatè sequenti potietur.

Insuper si acciderit Adm. R. P. Ordinis Procuratorem, priusquam præscriptum sui officij tempus exigat, animam reddere, Admod. R. Patri Generali (vt ab vniuerso Capitulo generali statutum fuit) curæ, ac prouidentiæ erit alium sufficere Patrem, ab ipso Patre Generali vel ex Diffinitionis generalis gremio, vel ex totius Religionis corpore pro suo arbitratu, & vt magis sibi expedire videbitur, assumendum, qui defuncti locum obeat, vicesq. gerat, & qui deinceps in sequenti generali Capitulo absque alia electione vtriusque suffragij ius obtinebit.

Quoniam verò declaratio in præcedentiæ materia à Patre Generali, Generalibusq. Diffinitoribus in Capitulo anno 1633. celebrato facta magno multarum Prouinciarum tranquillitati, & paci præiudicio fuisse deprehenditur; Idcircò statuitur vt in posterum huiusce præcedentiæ vsus in ijs tantummodò habeatur, qui vel Generales, vel Procuratores generales, vel Prouinciales extiterint: & hi quidem in Prouincijs duntaxat, in

quibus Prouincialatus munere perfuncti fuerint: necnon & in Diffinitoribus Prouincialibus, eo porrò tantùm tempore, quo actu fuerint Diffinitores, & in Capitulis, & Congregationibus solum: Declarantes insuper, Superioribus localibus extra suæ iurisdictionis loca nullum prorsus deberi præcedentiæ priuilegium. Illi porrò Fratres, qui seruato iuris ordine pro grauibus, causis ita à Patribus Prouincialibus, & Prouinciarum Diffinitoribus iudicatis, pœnas pertulerint, nullius præcedentiæ præter illam, quæ illis ex antiquitate debetur, priuilegio fruantur.

Vt autem confusio, quæ nonnũquam Capitulorum tàm Generalium, quàm Prouincialium tempore oriri solet, præcludatur: statuimus, vt toto illo tempore, quo generale Capitulum celebrabitur, cùm in Choro, aut in Refectorio Adm. R. Pater Generalis non fuerit, tùm primi Diffinitoris generalis officium ac munus sit, signum facere, & alias functiones necessarias Superiorum proprias exequi: hoc autem deficiente, eidem officio secundus succedat, & ita deinceps gradatim reliqui. Idipsum cum proportione in Prouincialibus Capitulis seruetur. Verùm si omnes fortè Diffinitionis Patres prępediti fuerint, dictis officijs ac muneribus prærũt in Capitulo quidem generali Pater Prouincialis illius Prouinciæ, vel Pater Guardianus loci, aut illius Vicarius: In Prouincialibus verò Capitulis Pater Guardianus loci Capitularis, aut eius Vicarius.

Tempore quo generale Capitulum celebratur, continuæ, ac feruentes ab omnibus nostrę Congregationis Fratribus fundantur preces, & tempore Prouincialis Capituli ab omnibus Prouinciæ Fratribus, quibus diuinam implorent & exposcant Clementiam, vt cunctas res nostras secundum suum beneplacitum ad laudem, honorem, & gloriam suæ infinitæ Maiestatis, suæq. Catholicæ, & Christianæ Ecclesiæ vtilitatē disponere dignetur.

Postremò, vt generalia Capitula citiùs, quoad eius fieri poterit, expediantur, & absoluantur, & ne longiùs cum Benefactorum onere, & magno sanctæ paupertatis præiudicio producantur: statuimus, vt facta Diffinitorum, Generalis, & Procuratoris electione, omnes Patres Vocales singuli, priuatimq. visitentur; illum tantum ob finem, vt ab eis exigatur, si quid contra Patrem præteritum Generalem, deferendũ habeant, vel

quippiam proponendum, cuius ſolutio, & expeditio ab vniuerſo generali Capitulo pendeat. Deinde verò audita Patris tùm à Generalatus officio vacantis culpa, & expenſis ac deliberatis, definitiſq. negocijs ab vniuerſo Capitulo pendentibus, Capitulares Tabulæ legentur, & Vocalibus poſtquam iterum viſitati fuerint, & particulares ſuarum Prouinciarum neceſſitates expoſuerint, abeundi facultas dabitur; eo tamen ordine, vt non omnes ſimul, & promiſcuè proficiſcantur, ſed vt nonnulli præcedant, & alij ſubſequantur: atque ideo in hac poſteriori viſitatione illi priùs aduocandi erunt, quorum Prouinciæ à loco, in quo generale Capitulum celebratum eſt, remotiores fuerint. Atque eodem pariter modo cum proportione in Prouincialibus Capitulis, prius negocia, quorum expeditio, & abſolutio quoquomodo ab vniuerſo pendet Capitulo, explicanda erunt. Deinde verò dimiſſis Patribus Capitularibus, ad negociorum, quæ ab aliquo ſolum particulari, & à Patre Prouinciali, ac Diffinitoribus pendent, expeditionem incumbendum.

CAPVT IX.

QVONIAM euangelizare Verbum Dei eſt ex dignioribus, vtilioribus, altioribusq. officijs, quæ in militante Eccleſia exercentur; vtpote à quo magna ex parte mundi ſalus pendeat, & quod propterea Chriſto Deo noſtro tãtæ curæ fuit, vt ipſemet per ſemetipſum cum maximo ſuæ diuinæ charitatis feruore, ea perfungi voluerit: propterea ne tàm excellens, nobile, ac fructuoſum exercitium in noſtra Congregatione cum graui animarum detrimento deficiat, ſtatuitur, vt in ſingulis Prouinciis, vbi fieri poterit, in nonnullis locis, deuota, ſancta, ac charitate, & humilitate redundantia inſtituantur ſtudia tàm Grammaticæ, quàm ſacrarum litterarum, & aliarum ſcientiarum ad cognitionem ipſarum diuinarum litterarum, & ſacræ, ac Scholaſticę Theologiæ melius, & facilius capeſſendam neceſſariarum: vtique quòd huiuſmodi cognitio dignè, ac cum debito ordine prę-

di-

dicatoris, vltra religiosam, & probatam vitam sit necessaria, naturaliter verò nisi per aliquod litterarum studium comparari nequeat. Ad quod sanè studium à Patre Prouinciæ Ministro, & Patribus Difinitoribus in Prouinciali Capitulo, aut à Patre Generali illi duntaxat Fratres promoueantur, quos ipsi Patres feruenti charitate præditos, laudatis moribus conspicuos, ac probata vita præstantes esse nouerint, & qui præterea ad discendum adeò sint apti, & idonei, vt deinceps in domo Domini vita, & doctrina vtiles, ac fructuosi possint esse. Atque idcircò cùm nouum aliquod studium instituendum erit, à Patribus in Prouinciali Capitulo diligens probitatis, & habilitatis Iuuenum ad studium promouendorum perquisitio fiat; & coràm ipsis Patribus non superficietenus, sed magna cum diligentia examinentur, factoq. examine, cum ciceribus, aut fabis secreto exponantur scrutinio, in quo qui maiorem suffragiorum partem exegerint, in studiosorum numerum asciti intelligantur, reliqui verò sint omninò exclusi. In qua quidem re Patrum conscientiam grauiter oneramus, si in re tanti ponderis, & momenti, à qua tantum boni, vel mali in Religionem redundat, simpliciter, & fideliter non incesserint: sed humanis ducti affectibus, & passionibus ineptos, & indignos probauerint, aut in dandis suffragijs partiales, personarumq. acceptores fuerint.

Logica, & Philosophia saltem per tres annos legatur; Theologia verò per quatuor continuos annos; legatur autem Seraphici Doctoris Sancti Bonauenturæ, vel Angelici Doctoris Sancti Thomæ doctrina. Et in studio quidem Studiosi solitas efficiant exercitationes: æstus autem causa, alteriusue respectus occasione longæ non fiant intermissiones, seu vacationes. In quam quidem rem Patres Prouinciales, omni studio incumbant peruigilantes, vt Lectores sedulò, & diligenter suo in legendo perfungantur munere: & ne Patres Guardiani studiosos multis corporalibus distineant rebus siue occupationibus, vt illis satis commodum, & opportunum vacandi studio suppetat otium. Illi porrò Studiosi, qui se ordinarijs disputationibus, solitisq. repetitionibus subtrahent, eas facere detrectantes, à studio remoueantur.

In fine cuiuscunque anni, quo studijs operam dederint, à Patre Prouinciali, Diffinitoribus, & Lectoribus circa materias,

qui-

quibus illò anno ſtudium nauauerint, examinentur; & à Patre Prouinciali in viſitationibus diligenti à Fratribus in eorum familia hærentibus, de illorum moribus accepta notitia, & cognitione ab eodem cum dictis Patribus ſecreta de illis ineantur ſuffragia, & qui maiorem ſuffragiorum tàm quò ad litterarum ſufficientiam, quàm quoad morum probitatem ſortiti fuerint partem, in ſtudio confirmentur, alij verò excludantur, & ad caſuum conſcientiæ ſtudia applicentur.

Patres autem Lectores, qui Studioſis lectiones in ſcriptis exhibent, eaſdem omninò dictare debent, cùm hoc proprij ſit eorum muneris: Inter dictandum autem cùm aliqua occurrerint, quæ maiorem habent difficultatem, & luculentiori indigent explicatione, viua voce illa exponent. Porrò autem in Theologia volumus, vt voce, verboq. tenus legatur, vt Studioſi textus, Seraphicæq. S. Bonauenturæ doctrinæ, aut Angelici Doctoris S. Thomæ intelligentiā melius aſſequi valeant: quamuis etiam celebriores difficultates, & quæſtiones, quæ ex Sanctorum Doctorum textu ſatis, ſuperq. exhauriri non poſſunt, in ſcriptis ſint digerendæ: Id quod Lectores præſtabunt, eaſdem per ſemetipſos (vt dictum eſt ſupra) dictando.

Studioſis concionandi facultas non detur, niſi per ſeptennium expletum ſtudijs operam dederint, tametſi Lectores non concionentur, & in quadrageſima legant: neque ſibi ſat eſſe arbitrentur, quòd omnes materias lectu ſolitas legendo perſoluerint: cùm Theologica potiſſimùm doctrina tàm ampla ſit, vt ex ea legendi materies pro longè maiori ſpatio ſuppeditari poſſit.

Si quandoq. acciderit aliquem Studioſum ab vna ad aliam Prouinciam ſtudiorum cauſa demigrare, approbationes circa mores vnà cum Patrum Prouinciæ, à qua diſcedit, fide ſecum deferat, & cùm ad concionandi officium promouendus erit, fidem iureiurando firmatam à Patribus vtriuſque Prouinciæ quoad tempus, quo ſtudijs in illis vacauerit, habeat: vt hinc melius cognoſcatur Fratris meritum, ipſius ſufficientia, & tempus, quod in ſtudijs conſumpſerit. Fratres porrò qui non ſunt ſtudioſi, ab vna ad aliam Prouinciam tranſeuntes, ad ſtudium in Prouincia, ad quam migrauerint, promoueri nequeant, niſi in illa per tres annos continuos cum præclara bonæ conuerſa-

tio-

tionis, Regularisq. disciplinæ obseruantiæ opinione hæserint.

Studiosi verò, qui sua culpa è studio eiecti fuerint, ad illud iterum promoueri, vel ad lectiones audiendas admitti nequeãt, nisi saltem per continuum triennium vera emendationis indicia dederint: eo verò temporis spacio exacto, diligenti, ac debita de illorum vita & moribus facta conquisitione, si à priori emersisse instituto, & se ad frugem bonã, (vt dicitur,) recepisse deprehensi fuerint, & ad studendum præterea sint idonei: PP. Prouinciales, & Diffinitores, si voluerint, possint illos secreto tradere scrutinio, & si maiorem suffragiorum partem adepti fuerint, in pristinum studiorum statum restituantur: Illi verò, qui semel & iterum à studio fuerint amoti, in illud rursum neutiquam reponantur, nisi vltra supradictum emendationis tempus, ab Admod. R. P. Generali id præstandi facultas in scriptis fuerit concessa.

Porrò autem Studiosi scientiam, quę inflat, & in superbiam effert, adipisci minimè curent; sed sibi cum primis conciliare studeant illuminantem, & inflammantem Christi charitatem, quæ animas viuificat, & humiliat: & ne vnquam in litterarum studio adeò se ingurgitent; vt illius causa orationis studiũ prætermittant; sic etenim expresè Seraphici Patris voluntati aduersarentur, qui hanc nunquam propter vllum quoduis litterarum studium emitti volebat: quinimmò vt Domini Nostri IESV Christi spiritum melius consequi valeant, tàm Lectores, quàm Studiosi enitantur spiritui magis, quàm litteris studium nauare: vtique quòd sine spiritu verus sensus non acquiratur, sed simplex duntaxat littera, quæ excæcat, atque occidit. Quapropter statuitur vt nostri Lectores sani noctu similiter in Chorum ad Matutinum, & ad Vesperas, & ad alteram orationis horam conueniant: legendo autem sibimetipsis sub suorum Prælatorum obedientia attendant, & intra annum ordinariè non concionentur: neque magnorum Conuentuum, in quibus vltra quinque & viginti Fratres habitare solent, Guardiani fiant, ne ipsis propter occupationem, qua detinentur, ad Chorum continuè concurrere non valentibus, hinc & reliqui abscedendi à Choro cum diuini cultus detrimento confidentiã captent. Similiter omnibus Studiosis præcipitur, vt ad Matutinum, & ad reliquas omnes canonicas horas, & ad orationem

in Chorum conueniant, secus autem agentes, è studio omninò eijciántur.

Illi ergo, qui ad studium promoti fuerint, comite secum sancta paupertate per regiam viam, quæ ad Cælum ducit, nempè sanctam humilitatem semper tenere contendent, frequenter illius B. Iacoponis effati recordationem repetentes: scientiam vtique acquisitam lethiferum vulnus infligere, nisi humiliato corde fuerit induta. Magna illis erit humilitatis occasio, si perpenderint nouis obligationum vinculis Deo obstringi hoc ipso, quòd ad studium sint asciti; hincq; subinde digni effecti, vt ad veram, & suauem sacrarum litterarum introducerentur intelligẽtiam, sub quarum sensu illud summum bonum, cuius spiritus illum gustantibus est super mel dulcis, delitescit: & cùm ad lectionem ingredientur, in humilitatis spiritu, & animo cõtrito mente in Deum erecta, & eleuata dicere meminerint. *Domine iste vilissimus seruus tuus, & omni bono indignus, vult ingredi ad videndum thesauros tuos: placeat tibi, vt ipsum indignissimum introducas, & des sibi in his verbis, & sancta lectione tantum te diligere, quantum te cognoscere, quia nolo te cognoscere, nisi vt te diligam Domine Deus Creator meus. Amen.*

Peracto autem Theologiæ cursu Studiosi ad prædicationis officium promoueri poterunt, non tamen priusquàm ab Adm. R.P. Generali, (vt præcipitur in nostra Regula) examinati fuerint, & approbati; & nisi itidem antea iuxta Tridentini Conc. Decretum, & fel. mem. Pij Papæ IIII. Constitutionem, Fidei professionem fecerint; quam pariter Fidei professionem etiam Lectores fecisse oportet, cùm primùm ad huiusmodi munus assumpti fuerunt. Nulli porrò huiusmodi ministerium concedatur, nisi vitæ sanctæ, & alijs ædificationi, virtutisq. exemplo futurus esse, graui, & maturo clarere iudicio, & forti, atque ardenti vigere voluntate cognoscatur, cũ scientia, ac eloquentia absque charitate non ædificet, quinimmò & frequenter destruat, & eius prædicatio contemnitur (vt inquit S. Gregorius) cuius vita despicitur. Diligenter verò caueant Prælati ne in eiusmodi tradendo officio sint personarum acceptores, neque amicitia, aut humano fauore ducantur; sed simpliciter propter Dei honorem, deligentes potiùs, vt Concionatores sint pauci, & boni, quàm multi, & minùs apti, & idonei, ad Christi sum-

Ses. 24. de reform. c. 12.
Const. 12. & 114.
Hom. 12. in Euang.

mæ ſapientiæ exemplum, qui ex tam magna Hebræorum turba, duodecim tantummodo Apoſtolos, & ſeptuaginta duos Diſcipulos delegit, prolixa priùs oratione facta.

Et quoniam Regulæ (vt dictum fuit) præceptum eſt, vt Studioſi, antequam ad prædicationis officium aſſumantur, à Generali Miniſtro examinentur; hoc autem ſi ipſe per ſe præſtare nequeat, ſuas iſtius muneris partes, tribus, aut quatuor Patribus idoneis, & Patri Lectori gerendas mandare debebit: vtique vt circa ſtudiorum ſacræ Theologiæ finem illos diligenter examinent, & cùm examinati fuerint, ſecreta ſuffragia de illis ferant, illos, qui maiorem ſuffragiorum partem exegerint, approbantes; & deinde omnes ſimul examinatores fidem cum iureiurando Adm. R. P. Generali faciant ſe illos examinaſſe, & idoneos inueniſſe, necnon PP. Prouincialis, & Diffinitores fidem itidem iureiurando firmatam circa illorum mores facient nihil ſibi ſecundùm propriarum conſcientiarum iudicium, cuius cauſa ad Prædicationis officium admitti nequeant: & PP. Lectores ſimiliter fidem ſeorſum etiam iureiurando confirmatam faciant, eoſdem Studioſos ſtudijs operam per ſeptennium expletum, & abſolutum dediſſe, & omnes Philoſophiæ, & Theologiæ neceſſarias materias audiuiſſe, ac ſingulis annis examinatos, approbatos, & admiſſos fuiſſe vt ſupra conſtitutum fuit.

Illis autem, qui in Religione ſtudiorum curriculum non confecerint, quamuis in ſæculo, vel in alia Religione antequã noſtrã ingrederentur, Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudiũ nauauerint, Concionatoris titulus, prædicandiq. facultas iuxta præſentium Conſtitutionum diſpoſitionem non tribuatur, niſi priùs examinati fuerint, & approbati, & niſi præterea à Patre Prouinciali, & Diffinitoribus Prouinciæ iuxta præſcriptum, fidem habuerint. Illi verò, qui ex alijs Religionibus ad noſtram veniunt, poſtquam in illis ſunt inſtituti Concionatores, concionandiq. facultate donati, ab Adm. R. P. Generali ad concionandi munus admitti poterunt, ſiquidem ad illud idonei reperti fuerint, & ſupradictas à Patre Prouinciali, & Diffinitoribus fides habeant.

Concionatoribus inſuper præcipitur, ne in ſuis Concionibus nugas, & ineptias, res poeticas, quæſtiones inutiles, & opi-

nio-

niones superuacaneas, curiosas doctrinas, argutias, & subtilitates à paucis perceptas, & intellectas inserant, sed sanctissimi Præcursoris Ioannis Baptistæ exemplo, voce alta & ardenti prædicent: *Pænitentiam agite: appropinquauit enim Regnum Cælorum*, & cum Apostolo Paulo Christum crucifixum; & vt noster Seraphicus Pater Franciscus admonet, & hortatur, annuntient vitia, & virtutes; pœnam & gloriam cum breuitate sermonis; allegantes cum primis Christum cuius authoritas cunctis mundi personis, & rationibus præstat; & sacram Scripturam, ac subinde Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, sacra Concilia, & sanctos Doctores in medium proferentes: illorumque sermones examinati sint, & casti, vsque adeo, vt ad particulares personas, præsertim Religiosos, & cum primis Ecclesiæ Prælatos nunquam descendant. Secus autem facientes, grauibus pœnis plectantur.

Caueant præterea à vana, & curiosa, nimia & superuacanea verborum elaboratione, & elegantia, cultu & ornatu, & nudum & humilem Crucifixum minimè decente; sed verbis nudis, puris, simplicibus, & humilibus, charitate nihilominus refertis, ardentibus, ac diuinis vtantur. Atque idcirco Concionatores cohortamur, vt totis viribus contendant sibi in corde Christum IESVM imprimere, & pacificam sui illi tradere possessionem, vt deinde ex amoris redundantia, ille sit, qui eos loqui faciat, Pauli electionis Vasis, & Gentium Doctoris more, qui non in sublimitate sermonis, humanæq. sapientiæ; sed in virtute Spiritus Sancti prædicabat, nec audebat aliquid loqui eorum, quæ per ipsum non efficeret Christus: quemadmodum etiam ipse Christus perfectissimus Magister non solùm doctrina, sed etiam operibus docuit: & isti sunt magni in Regno Cælorum, qui priùs faciunt, & operantur, & deinceps prædicant, & alios docent.

Quapropter fel. mem. Clementis VIII. Decretis inhærentes, statuimus & præcipimus, vt Concionatores sani, cùm in prædicationis munere actu non fuerint occupati, in Chorum ad omnes horas Canonicas, & ad statutas orationes conueniant, & communem vitam cum reliquis Fratribus agant. Qui autem prædicando Quadragesimæ tempore ieiunare, cibisque

quadragesimalibus vesci nequeunt, nullo modo conciones habere permittantur.

Quibus præterea iniungitur, vt ab epulis, & conuiuijs superfluis, lautis, & sumptuosis omninò abstineant: sed vt pauperes & mendici viuant, quemadmodum Christi amore spontè professi sunt, ijs tantùm contenti, quæ sibi sunt necessaria: Et præ omnibus insuper ab omni auaritiæ specie caueant, vt liberè, & syncerè Christum prædicantes, vberiores fructus referant, ac reportent. Prædicatores autem neque pro se, neque pro Fratribus eleemosynas colligant, vt secundum Apostolicam doctrinam omnibus notum sit, illos non quæ sua sunt, sed quæ IESV Christi, Dei nimirum gloriam, & animarum illius prætioso sanguine redemptarum salutem, quærere. Multò verò magis inhibetur, ac præcipitur ne concionum gratia vllum à Communitatibus, vel alijs particularibus personis præmium, aut pecuniariam eleemosynam recipiant, & ne sibi præterea libros, habitus, pannos & similia, quæ pro ipsa prædicatione præmij, ac compensationis specimen præseferant, emi faciant. Transgressores verò Pater Minister Prouincialis disciplinæ flagellatione per Miserere in Refectorio plectat, & alijs prætèrea grauioribus pœnis iuxta delicti qualitatem subijciat, & nisi ad meliorem frugem sese receperint, à prædicationis officio suspendantur.

Præcipimus insuper ne Cõcionatores in illa loca, seu suggesta, aut pulpita prædicatum mittantur, ad quæ ipsimet Concionatores, se missum iri petierint, vel ad quæ se pedibus conferre nequeant: & ne præterea permittãt, & multò adhuc minus curent, vt pro ipsis nauigandi gratia cimbæ, seu nauigia soluto naulo conducantur, & qui in hoc deliquisse deprehensi fuerint, à Patre Prouinciali pro delicti qualitate puniantur.

Vlteriùs statuitur, ne suis cognatis, & consanguineis officia, vel dignitates curent, neque pro illis insuper concionandi occasione eleemosynas colligant; nummos deinceps, seu pecunias ad illos per Nummulariorum literas, aut alio modo mittentes, graui transgressoribus indicta pœna, & suspensione ab officio illis ad Adm. R. P. Generalis arbitrium irrogãda. Cùm autem contigerit aliquam commẽdationem, aut collectam pro ip-

ipsorum Concionatorum, aut aliorum Fratrum cognatis notabiliter pauperibus fieri; id nullo pacto fieri volumus, nisi priùs licentia in scriptis à Patre Prouinciali illius Prouinciæ, in qua conciones habentur, obtineatur. Qui quidem ad hanc facultatem concedendam non sit facilis, nisi priùs de necessitatis, & indigentiæ, quæ proponitur grauitate certior factus fuerit. Idque propterea decernitur, vt multa, & grauia inconuenientia, quæ hac ex parte oriri solent præcaueantur. Alias verò eleemosynarum collectiones pro alijs pijs operibus Concionatores non faciant absque Ordinariorum licentia, & nisi præterea operum, propter quæ fiunt, qualitatem populo exposuerint; nullo prorsus modo permittẽtes, vt nummi, vel pecuniæ in eorum domicilia, & cubicula deferantur, vt hinc à secularium mentibus omnis mali vmbra, & suspicio auferatur. Secus autem facientes tanquam proprietatij puniantur. Quibus præterea & illud præcauendum erit, ne vllo modo curent, vt eleemosynæ eorum opera, & studio collectæ extra Ciuitates, & loca, in quibus fuerunt collectæ deportentur; sed eas ab eorumdem locorum deputatis dispensari, ac distribui sinant, nullam ipsi in eiusmodi dispensatione operam adhibentes. neque vllo modo pecuniarias eleemosynas pro nostris ædificijs, aut pro aliis Conuentuum necessitatibus recipiant, huiusce rei curam illis, quorum interest, dimittentes, aliàs si secus egerint, à prædicationis officio Patris Prouincialis, & Diffinitorum in Prouinciali Capitulo, arbitrio suspendendi.

Et vt bono vbique sint odori, statuimus ne domicilia, in quibus nostri habitant Concionatores, mulieres ingredi permittantur: cùm autem occurrerit cum illis spiritualium consiliorum causa, sermonem habere, (id quod raró fiat) tunc in Ecclesiam conueniant, aut in aliquem alium locum, vbi saltem à socio videantur: neque vllo modo consentiant, vt in eorum domicilijs, & cubiculis sint imagines profanæ, aut similia, quę nostrum religiosum, & pauperem statum minimè decent.

Et ne alijs prædicantes, ipsi reprobi efficiãtur, dimittant aliquando populorum frequentiam, & ad solitudinem reuertantur, & cum dulcissimo Saluatore ad sanctæ orationis, & contemplationis montem ascendant; ibiq. tandiu maneant, quo-

ad

ad Deo pleni, Spiritus Sancti impetus illos rursum ad diuinas gratias in mundum diffundendas excitet, & impellat; enitentes, vt tanquam Seraphini diuino inflammentur amore, vt hoc ipsi apprimè calentes, alios deinceps calefacere valeant: atque ita facientes, & modo quidem Marthæ ministerium subeuntes, modo Mariæ silentio vacantes, Christum in vita mista sequentur, qui postquam supra montem orauerat, in templum ad prædicandum descendebat; quin & è Cælo in terras ad saluandas animas descendit. Quapropter conentur omnes Concionatores, vt peracta Quadragesimali prædicatione, quamprimùm è Ciuitatibus, & locis, in quibus concionati fuerint (nisi forte aliqua detineantur necessitate) abscedant, & ad sua Monasteria reuertantur, ne ex nimis frequenti sæcularium consuetudine, & familiaritate fructum perdant, quem in Quadragesima tulerunt, suiq. subinde ministerij authoritatem, & existimationem imminuant.

Quoniam verò qui Christum vitæ librum legere, & imitari nescit, doctrinam qua prædicare possit, non habet: idcirco Concionatoribus, vt illi operā nauēt, in quo sunt omnes diuinæ pientiæ, & scientiæ thesauri; pręcipitur ne multos secum libros deferant. Verum libri ipsis necessarij, sint communi vsui expositi, nullo autem modo alicui particulari priuatim addicti, vt fuit semper sanctissimi Patris intentio; & propterea ad paupertatem melius seruandam, & omnem subinde particularem affectionem è Fratrum cordibus euellendam; statuimus, vt in omnibus nostris Monasterijs sit locus mediocris, in quo sacra Scriptura, deuoti, sanctiq. Doctores, & alij necessarij libri habeantur, solicitèq. curent Ministri Prouinciales ne in huiusmodi nostris paruis Bibliothecis libri prohibiti, vel suspensi habeātur, quorū lectione, (vltra censuras, aut peccati mortalis reatum.) legentium mentes vel erroribus infici, vel inquinari aliquo modo contingat. Quapropter vel per semetipsos, vel per aliquem Patrem idoneum diligenter visitare, & expurgare non desinant iuxta Regulas Indicis librorum prohibitorum Clem. VIII. locupletati, & Romæ nuper impressi: adhibito etiam vbi opus fuerit PP. Inquisitorum, vel Ordinariorum consilio; inutiles verò Gentilium libri, qui hominem potiùs mundanū efficiunt, quàm Christianum, in nostris Conuentibus non teneant-

nean-

neātur, & si aliqs fortè fuerit, iuxta PP. Ministrorū Generaliū, & Prouincialiū dispositionē, suis Dñis reddatur, aut igni tradatur.

Prohibemus præterea, ne quis libros aut per se, aut per alios absque licentia in scriptis Adm. R.P. Generalis imprimere, aut euulgare audeat, & præsumat. Ipse porrò Pater Generalis eiusmodi facultatē nemini tribuat, nisi priùs dictos libros nonnullis personis doctis, & idoneis videndos & examinandos commiserit. Ab his autem in illorum approbatione fides facienda erit, non de eo solùm, quòd in ipsis nihil contra Fidem & bonos mores inueniatur; verum etiam quòd digni sint vt typis mandentur: Hoc autem modo examinatis, & approbatis, Adm. R.P. Generalis facultatem concedere poterit, vt impressioni tradantur, ea porrò conditione, vt ab Ordinarijs quoque, & alijs ad id muneris deputatis licentia obtineatur. Si quis autem contrarium fecerit, ipso facto omnibus legitimis actibus priuatus existat, vltra Conc. Lateranensis pœnam. Supra nostram verò Regulam nemo scribat, aut imprimere faciat, nisi primùm ab Adm. R.P. Generali, Generaliq. Diffinitione facultatem habuerit. Patribus verò Prouincialibus, & alijs Superioribus præcipitur, vt Sacræ Congregationis S. Officij Decreta quinto Nonas Iulias 1631. edita, ad librorum impressionem spectantia, legi, & obseruari faciant.

Denique vniuersi Fratres monitum à nostro Seraphico Patre in suo Testamento nobis relictum, memoria repetant, vt scilicet omnes Theologos, & eos qui nobis sanctissima diuina verba ministrant, honorare, & reuereri debeamus, quippe qui nobis spiritum, & vitam suppeditant.

CAPVT X.

QVAMQVAM omnes Fratres Domini nostri IESV Christi, & Seraphici Patris Francisci exemplo, potiùs subesse, quàm alijs præesse, & imperare debeant expetere; nihilominus qui ab obedientia ad Prælationis munus delecti fuerint, id haud quaquam pertinaciter respuant; sed cum omni humilitate, & solicitudine ministerium sibi commissum subeant, & exe-

quan-

quantur. Quapropter statuimus, vt Adm. R. P. Generalis sui officij tempore cunctas Prouincias, & si fieri possit, omnia etiam Monasteria sua præsentia visitare, aut saltem vniuersos Fratres videre contendat. Ministri verò Prouinciales cunctos suos Cóuentus, & Fratres, bis saltem singulis annis visitent, & in Visitationibus minimè prætermittant subditis sanctæ obedientiæ præcepto mandare, vt quæ remedij indigent, ac curationis reuelent, notaq. faciant. Aduertant porrò PP. Prouinciales, ne directè, vel indirectè quæ sibi, vt Patribus tantùm dicta fuerint, vt Iudices excutiant, & expendant.

Si quisquam verò PP. Prouincialium hac in re particulari deliquisse deprehensus fuerit, hunc omninò ab officio à Capitulo, aut ab Adm. R. P. Generali depositum iri volumus. Subditi similiter animaduertant, cùm peccata vel delicta adeo grauia fuerint, vt in graue proximorum, aut Religionis damnum vergunt, se sub mortalis peccati reatu ad illa iudiciario modo ad Patrem Prouincialem, vel Adm. R. P. Generalem deferenda obstringi. Volumus insuper, vt Pater Generalis, & PP. Prouinciales cùm magnam in articulis contra aliquem Fratrem delatis deprehenderint alterationem, eorum delatorem debita plectant seueritate: & vt præterea cũ constiterit articulos falsos esse, vel vnico saltem teste omni exceptione maiori non esse probatos, qui eos detulerint ad talionis pœnam puniantur, atque illorum nomina in publicum Refectorium proferantur.

Et quoniam ex visitationibus cum maturitate factis nostræ Religionis conseruatio magna ex parte pendet: statuimus, ne PP. Prouinciales illas properatò, & festinanter, & (vt dici solet) ex quadam solùm consuetudine perfunctoriè, & superficialiter faciant; sed in Conuentibus tandiu morentur, & consistant, vt commodè disquirere, & inuestigare possint, quomodo Fratres in Regulæ, & præsentium Constitutionum, & Statutorum obseruantia sese gerant: atque in hoc tempore de Regula sermones habeant; sacraria, & reliquas omnes Conuentus officinas visitent; prouidentes, ne sint res, rerumq. prouisiones superuacuæ; & visitent insuper (si opus fuerit) singulas Cellas, & diligenter obseruent, ne Fratres pro suo vsu res non necessarias, & superuacaneas habeant, has ab illis omnino absque vlla personarum acceptione auferendo, & nihil eis præterea,

rea, nisi quòd discretè secundum officiorum conditionem debetur, concedendo: reminiscentes se si secùs egerint, arctissimam Christo iudici reddituros esse rationem. Et si quispiam Fratrum deprehensus fuerit, qui tempore, quo Pater Prouincialis singulas cuiusque Fratris Cellas collustrat, & prospectat, vt proprio, seu priuato & particulari vsui necessaria tantùm concedat, & superflua adimat, quippiam absconderit, & Patri Prouinciali non exhibuerit; is ab ipso Patre tanquam proprietarius pro excessus qualitate grauiter puniatur. Nec quisquam sibi sat esse putet, quod rem illam Patri Generali ostendere velit, aut quòd eius huiusmodi rei retinendæ licentiam ab ipso habeat, vel quòd res sit vilis, paruiq. momenti. Et tàm ipsi PP. Generales, & Prouinciales, quàm PP. Guardiani subditos ad perfectam Euangelicorum præceptorum, & cõsiliorum promissæ Regulæ, & præsentium Constitutionum, & cum primis altissimæ paupertatis firmissimi totius Regularis obseruantiæ fundamenti custodiam, & obseruationem cum charitate adhortari, & cum charitate itidem corripere non desistant.

Quoniam verò peccãtes impuni ferre permittere, est ad omnia vitia portam improbis aperire, atque eosdem ad similia, & etiam maiora errata illicere, & inuitare, & bonis subinde, probèq. institutis Fratribus impedimenti occasionem parere: Statuimus, vt Prælati cum sancta seueritate illos debitis subijcere pœnis non omittant. Quoniam verò, vt eximius Doctor Augustinus ait, siue castigando, siue parcendo nil aliud vnquã intenditur, nisi vt hominis vita corrigatur; propterea iustitiæ vinum ita cum misericordiæ oleo temperetur, vt disciplina non deficiat, & nimia seueritas non excedat; sed tali quidem animaduersione infirmus curetur, vt misericordia, & veritas obuient sibi. Quapropter quoniam Prouinciales omnes causas, si fieri possit, expedire debent; si quispiam eorũ prouincialis Capituli tempore deprehensus fuerit, huic muneri notabiliter defuisse, ipsi culpam audiendam, condignamq. pœnitentiam imponendam, volumus.

Præterea PP. Prouinciales in sui officij fine cunctos processus, & scripturas, quas in Archiuio habuerint, facto illarum Inuentario, successoribus tradent; dictumq. Inuentarium, tàm Prouin-

uincialis, qui ab officio cessat, quàm is, qui recens assumitur subscribēt, Prouinciæq. sigillo consignatum in dicto Archiuio conseruetur, vt Prouincialis electus cùm à Prouincialatu vacauerit, possit & ipse scripturas, quas sub Inuentario custodiendas acceperat, suo successori exhibere. Et ita deinceps cæteri præstabunt. Si quis autem deprehenderit aliquem processum, vel scripturã deesse, id nouæ Diffinitioni, & Adm. R. P. Generali significare teneatur; nisi fortè Fratrũ defunctorũ processus desint, qui & comburi solent, quando in ipsis nullũ aliorum viuentium Fratrum adsit indicium. Quod porrò de PP. Prouincialibus dicitur, idipsum pariter secundum proportionem de Adm. RR. PP. Ordinis Procuratoribus dictum esse intelligitur. Insuper & illud decernimus, ne vllus processus, aut authentica scriptura ex Archiuio absque licentia, & præsentia Adm. R. P. Generalis, siue P. Procuratoris Generalis auferatur.

Vt autem debitæ punitiones executioni mandari possint, in nonnullis nostris Conuentibus in vnaquaque custodia sint carceres fortes, sed humani: in quibus qui fuerint detenti, humanè, sed diligenter custodiantur: In qua quidem re tùm carcerum Custodibus; tùm Superioribus peruigilandum erit: casu autem, quòd debitæ diligentiæ defectu aliquis carceri addictus fugam arripiat; volumus, vt carcerum Custos, & Pater Guardianus, aut Monasterij Vicarius, debita à Patre Prouinciali seueritate mulctentur.

In Reorum porrò iudicijs legum subtilitates, seu iudiciariæ telæ secundùm Bonifacij VIII. concessionem non obseruentur, & curæ studioq. habeatur, vt Fratris fama (quoad eius fieri poterit) conseruetur, propter cuius peccatum nemo scandalizari debet, vel illum fugere, aut horrescere: quin potius illi compati, & eò magis ipsum diligere, quò magis indigere deprehenditur. Tenere siquidem semper, & pro certo habere debemus, quòd vnusquisque nostrum secundùm nostri Patris Seraphici dictum longè deteriora perpetraret, nisi nos Deus sua gratia pro sua bonitate præseruaret.

Caueant autem Superiores, ne suorum subditorum animas obedientialibus illaqueant præceptis, nisi ex pietate, aut charitate fuerint compulsi. Ea propter Patres maturi, & discreti

qui

qui vnà cum experientia scientiam habeant, in nostros Prælatos eligantur, & in omnibus suis negocijs cum seniorum Patrum, & Fratrum consilio procedant.

Fratres autem subditi in omnibus, in quibus diuinam non esse offensionem cognouerint, cum omni humilitate suis obediant Prælatis; & debitam ipsis, vti S. Francisci, quinimmo & Christi Dei nostri Vicarijs tribuant reuerentiam: cumq. ab illis reprehensi, correptiq. fuerint (iuxta laudabilem veterũ nostrorũ & humiliũ Patrũ consuetudinẽ) genuflectant, & cum patientia reprehensionẽ ferant, & correptionẽ: superbè non respondeant, quin neq; vllo modo Prȩlato, præsertim in Capitulo, ac Refectorio nisi priùs petita, & impetrata licentia audeant respondere. Secus autẽ facientes, disciplina sese corã Fratribus per Miserere flagellent. Enitantur autem vniuersi Fratres, omniq. studio contendant suos corrigere & emendare defectus; & cum sanctis consuetudinibus malos, & prauos vincere, & abolere abusus; & cum frequentibus virtutum actibus progredi perfectionis viam. Hincq. subinde omnis nostra exercitatio in Dei laudem, & gloriam redundet, & cunctis proximis nostris pacis, ædificationis, & salutis sit causa.

Hortamur præterea cunctos Fratres, ne à suis Prælatis extra nostram Congregationem appellent; considerantes nos ad Religionem venisse, non litigandi causa, sed nostra peccata lachrymis expiandi, vitam emendandi, & pœnitentiæ crucem ferendi gratia, Christum sectantes, qui semetipsum humanis iudicijs, quantumuis iniustis, & impijs patienter subiecit. Quòd si omninò ad alios prouocare, & recurrere voluerint, id ordinatim, & gradatim iuxta sacræ Congregationis super Regularibus Decretum faciant. Decernimus autem, vt omnes qui absque ratione, ac legitima causa prouocasse, & appellasse, aut causæ recognitionem postulasse deprehensi fuerint, grauiori pœna, ac illa fuerit, quæ illis primùm à Iudicibus lata sententia decreta fuerat, omninò sine vlla dispensatione plectantur.

Deinde verò & illud compertum habeant per quandam Gregorij PP. XIII. Constitutionem sub Excommunicationis latæ sententiæ Summo Pontifici reseruatæ; & priuationis omnium officiorum pœna inhibitum esse Fratribus ad alia Tribu-

nalia, præsertim sæcularia appellare. Quemadmodum itidem appellationes à salutaribus pœnitentijs, quæ à Prælatis, & Superioribus in causis visitationis, & morum correctionis irrogãtur, à Tridentina Synodo interdicuntur: Et Nos quidem statuimus, vt Fratres, quib⁹ à suis PP. Guardianis audita fuerit culpa, & salutaris flagellationis, aut alterius rei secundùm nostrum Institutum pœnitentia iniuncta fuerit, illam cum humilitate, & patientia exequantur: ab ipsa verò prouocantes, & appellantes, Caparronis per integrum diem absq; vlla dispensatione deferendi pœna, & alijs insuper grauioribus pro querimoniæ, contentionis, ac repugnantiæ qualitate, & grauitate mulctentur, nisi eadem die resipuerint, seque Superioris mandato, ac pœnitentiæ executioni subdiderint.

Sess. 13. c. 1. & Sess. 22. c. 1. et Sess. 24. c. 10. de reform.

Quoniam verò in Religionibus haud rarò Fratres inueniuntur, qui acri, & seuera indigent mortificatione, quippe qui, licet grauia delicta, saltem palàm non admittant, vt de his iuxta Iuris dispositionem puniri, castigariq. possint, ita nihilominus sunt remissi, dissoluti, & in Regulari disciplina, & instituto adeò profusi, & perditi, vt & alijs non leuem remissionis, ac relaxationis præbeant occasionem; vel vsque adeo sunt duri, & pertinaces, & ad obediendum renitentes, vt Superiores maxima cum difficultate eos in sua Monasteria recipere velint, vel ita sunt litigiosi, & ad rixam concitati, si non cum Superioribus, saltem cum reliquis subditis, vt eorum conuictus, societas, & contubernium omnibus sit graue, omnesq. subinde cum ipsis in eadem familia commorari refugiant: Quapropter, vt magno prospiciatur impedimento, quod isti & similes Fratres, si in nostra Religione inuenti fuerint, Regularis disciplinæ conseruationi, & bonorum, ac studiosorum quieti; spiritualique progressui possent afferre, statuimus, vt in singulis Prouincialibus Capitulis, Minister Prouincialis, & Patres Diffinitores, tã recens ad id muneris assumpti, quàm eo tunc abdicati cum quinque alijs Patribus Vocalibus in Religione prouectioribus simul in Diffinitionis loco, aut aliquo alio conuentiori congregati, ac iureiurando iurato, se in ea rè & cum secreti obseruatione, & cum pura mentis ad Deum, & commune bonum intentione processuros, Fratres proponant, in quos secundùm suæ conscientiæ iudicium, tam quò ad eorum emendationem, quàm

quàm quò ad communis Prouinciæ commodi, & vtilitatis curam, & prouidentiam, animaduerti oporteat, atque adeò & eos mortificari, & aliqua pœnitentia plecti sit opus, & secreta de singulis eorum cum fabis, & ciceribus ferent suffragia. Qui autem maiorem contrariorum suffragiorum partem sortiti fuerint, singulis diebus Veneris per sex continuos menses absque ylla dispensatione se in publico Refectorio per Miserere flagellare, & in terra prostrati in pane, & aqua ieiunare teneantur. Quòd si necdum resipuerint, & ad bonam frugem sese receperint, & in sequenti Capitulo aduersa suffragia maiori itidem ex parte habuerint, eandem flagellationis, & ieiunij pœnitentiam per integrum annum subeant. Si horum porrò quispiam hasce pœnitentias exequi renuerit, atque re ipsa in effectu ab earum executione resilierit; Pater Guardianus, seu Pater Prouincialis illum in carcerem contrudat, à quo minimè emittatur, donec se promptè, & humiliter ad dictas pœnitentias subeundas exhibeat.

Vlterius si quis ex horum numero in sequenti Capitulo eandem suffragiorum sortem tulerit; in carcerem ad Patris Prouincialis, & PP. Diffinitorum arbitrium condatur: in quo quandiu steterit singulis Mercurij diebus solo pane, & aqua vescatur. Atque his carceris, & panis & aquæ ieiunij pœnis imposterum sint obnoxij toties, quoties in subsequentibus Capitulis maiorem suffragiorum partem, vt dictum est, exegerint.

Præterea in virtute sanctæ obedientiæ vniuersis Fratribus præcipiendo mandamus, ne quis extra Religionem recurrere præsumat ad obtinendas ab ipsius Superioribus litteras obedientiales, & gratias, puta pœnarum relaxationem; ad studia, ad ordines, ad prædicandi munus, ad pulpita, & suggesta, & ad dignitatès promotionem, Prouinciarum mutationem, & à Prouincia ad Prouinciam, & à loco ad locum migrationem, & similes alias gratias; aut quippiam quoduis aliud, quod liberæ dispositioni, & ordinum executioni, & Religionis Prælatorum gubernationi esse possit impedimento. Quibus pariter & idm factam declarationem ad memoriam reuocamus, in hac vtique ipsa prohibitione magnos quoque sanctæ Ecclesiæ Prælatos comprehendi. Si quis autem secus egisse fuerit deprehensus, præter diuinam offensam, quæ præ omni pœna magis est timenda,

da, & præcauenda, plectendus quoque erit, vt huius præcepti transgressor. Et insuper volumus, vt qui iam aliquam huiusmodi gratiam obtinuerunt, vel in posterum sint obtenturi; ex eiusdem præcepti virtute, ab eius vsu, vel executione abstinere teneantur. Et ne animaduersiones, quæ à nobis sancto zelo fiunt, impediantur, & prauè iudicentur, & vt maior præterea contra delinquentes procedendi libertas suppetat, præcipimus, ne Ordinis arcana, & secreta fiant extra ipsum Ordinem nota, & manifesta. Qui autē secus fecerit, graui pœna à Patre Prouinciali Ministro, aut à prouinciali, seu generali Capitulo plectatur.

Ad hæc, quoniam facultas, & libertas, quam in scribendis literis sibi nonnulli vsurpant, ab omni non solùm Regulari instituto abhorret, sed etiam sacris Canonibus est contraria, & præter alia inconuenientia, magno etiam est Religionibus detrimento; statuitur, vt Patres Prouinciales, & Patres Guardiani, huic grauissimo abusui cum sancto zelo occurrere, atque excessus, qui hac in parte admittuntur, cum debita seueritate punire contendant. In particulari verò statuimus, vt omnes subditi, qui ad alios quàm ad suos Prælatos scribere voluerint, litteras clausas & consignatas ad Superiorem deferant, eique mittendas tradant: atque eodem pariter modo quæ ad ipsos mittuntur, Superioribus primùm, vel ab ipsis, vel ab alijs exhibeantur, vt ab ipsis deinceps ijs, ad quos mittuntur, tradantur. Nec quisquam alio modo litteras aut mittere, aut aperire præsumat sub pœna flagellandi se per Miserere in publico Refectorio pro prima vice; & pro secūda vltra flagellationem, pane & vino tantùm vescendi, & pro tertia in pane & aqua ieiunandi, & omnia quidem faciant cum magna prudentia, & circumspectione, & sub eisdem pœnis cunctis Fratribus penitus inhibetur, ne alia via, alioue modo præter præscriptum per se, aut per alios litteras mittant, aut recipiant. Quibus insuper pœnis, eadem seruata gradatione, eos quoque subesse volumus, qui litteras conscribent, quæ res vanas, curiosas, inútiles, & non necessarias continent. Cùm porrò Superiores ex litteris, quæ ad ipsorum manus venerint, depræhenderint, aliquem ex suis subditis in scribendo excedere, illum corripiant: si autem correptus nequaquam pedem retulerit, singulis vicibus sese in Refectorio flagellet: à qua quidem pœnitentia Su-

pe-

perior ipſum eximere nequeat, ſed ipſum omninò ad illam peragendam compellat. Hunc autem ſcribendi exceſſum Superioris iudicio omnino dimitti volumus.

Iuuenes quoad ſeptennium in Religione expleuerint, priùs ſcribendi licentiam à ſuo Superiore petant; deinde verò quas cum obtenta licentia ſcripſerint, litteras eidem legendas oſtendant, atque eaſdem demum conſignatas ipſi mittendas tradāt: contrafacientes verò, pœnis ſuperius præſcriptis ſubiaceant. Similiter volumus, vt idem Superior omnes ad dictos Iuuenes litteras miſſas aperiat, atque illius prudentiæ, ac diſcretioni committimus, num illis reddendæ ſint, an retinendæ, quarum ipſe qualitate bene perpenſa, faciet quod ſibi magis in Domino expedire videbitur. Si porrò Pater Guardianus, aut alius Superior dicta Statuta non curauerit obſeruare, ipſum Pater Prouincialis in viſitatione diſciplinæ flagellatione in Refectorio plectet, & alia grauiori pœnitentia pro delicti grauitate multabit. Nos autem meminiſſe oportet, quòd ſi in extremo mortis momento de quolibet otioſo verbo reddenda eſt ratio, longè adhuc ſeuerior de ſingulis litteris otiosè ſcriptis reddenda ſit. Qui verò legere, aut ſcribere neſciunt, hæc addiſcere non curent, ſed ſuper omnia ſpiritum Domini habere ſtudeāt, & ſanctam eius operationem: ad ipſum puro corde orare, atque humilitatem, & patientiam in perſecutionibus, & infirmitatibus habere.

Hortamur etiam cunctos noſtros Fratres, vt ſecundùm noſtri Seraphici Patris monitum nobis in X. Regulę Capite traditum, caueant ab omni ſuperbia, vanagloria, inuidia, & auaritia, huius mundi cura, & ſolicitudine, ab omni cuiuſuis perſonarum ſtatus, præſertim Eccleſiaſticorum Prælatorum, Clericorum, & omnium aliorum Regularium detractione, & murmuratione, ſed omnibus vnicuique iuxta ſuum ſtatum reuerentiam exhibeant, cūctos in Chriſto IESV Saluatore noſtro Fratrum, Patrum, & Maiorum loco habentes. Qui autem in detractiones lapſi fuerint, & murmurationes, grauibus flagellationum, ieiuniorum cum pane & aqua pœnitentijs, vel etiam grauioribus puniantur: vt hac ipſa in parte Sancti Patris noſtri Franciſci diſpoſitioni Ordinis Superioribus ſæpius commendatæ (vt in eius vita monumentis mandatum habetur) conformes ſimus.

CA-

CAPVT XI.

QVONIAM mulierum quantumcumque sanctarum consuetudo, & familiaritas iuxta Sanctorum Patrum, & cum primis S. Hieronymi sententiam, Dei seruis est vitanda, sanctaq. cautione fugienda; idcircò ab vniuerso Generali nostro Capitulo, maxima maturitate, consilio, & deliberatione præsens sancitur Constitutio ab vniuersa nostra Congregatione inuiolabiliter obseruanda, ne vllo modo, aut sub quauis boni, aut sanctitatis specie, vel ad Populorum, aut Dominorum preces, Monasteriorum mulierum, aut Confraternitatum, aut alicuius virorum, vel mulierum Congregationis cura, & administratio suscipiatur; & ne illis confessarij tradantur, in hoc potiùs saluberrimis Sanctorum doctrinis, quàm humanis persuasionibus credentes.

Et quoniam veros Regulares, & Christi seruos, non solùm euidentia mala, & peccata; sed quamlibet etiam rem, quæ alicuius mali specimen præseferre possit, fugere decet, & oportet: ideo volumus, & statuimus, ne Fratres ad quoduis Monasterium, aut alias domus, in quibus mulieres religiosæ in Congregatione habitant, ad ipsas alloquendas eant absque licentia in scriptis Patris Ministri Prouincialis, cui in hoc magna vigilantia, & circumspectio est adhibenda, ne huiusmodi facultatem facilè concedat, nisi Fratribus probatis, & maturis: & in necessitatis, aut magnæ pietatis casu, & cum licentia præterea aliorum Superiorum, prout facto opus erit.

Cùm autem à Sacra Eminentissimorum DD. Cardinalium Congregatione sit declaratum: cum Monialibus absque licentia colloqui, & habere sermonem mortale esse peccatum, hanc ipsam declarationem omnibus notam facimus, vt cuncti subinde caueant, ne in hanc Dei offensam in graue suarum animarum præiudicium prolabantur.

Et vt præterea cor mundum habentes Deum mentis oculò videamus, & ad res cælestes aptiores inueniamur; caueant

Fratres à suspectis mulierum consortijs, & consilijs, à superuacanea consuetudine, & familiaritate, atq. à prolixis ac nō necessarijs colloquijs. Cùm illos verò ex aliqua necessitate cum ipsis loqui oportuerit, vt bonum mundo præbeant exemplum, in loco publico, & manifesto, vt à socio videantur, consistant; & ita Christo in omni loco sint boni odori cum puritate, discretione, & honestate conuersantes. Frater autem, qui cum mulieribus in loco, vbi à socio videri nequeat, verba facere deprehensus fuerit, iuxta excessus qualitatem seruatis seruādis puniatur. Ob oculos verò illud nobis versetur exemplum in nostris Chronicis posteritati mandatum illius Fratris, qui palearum manipulum comburens, dixit; Illud lucri, & quæstus, quod paleæ cum igne faciunt, Regularis Dei seruus ex mulierum conuersatione, & familiaritate reportat. Et de Sancto quidem Ludouico Episcopo nostri Instituti Professore Ioannes XXII. in illius Canonizationis Bulla ait, quòd castitatis amor à pueritia affecerat eius mentem adeò quòd ob ipsius fidā custodiam mulierum consortia vitabat omninò, in tantum quòd nisi forsan cum matre, vel sororibus solus cum sola nullo vnquam tēpore loquebatur: Mulierem namque amariorem nouerat esse morte; & in Diui Augustini vita memoriæ proditum est, illum sororis, & neptis domum, & familiaritatem recusasse, dicentem, quòd licet mulieres cognatæ, & propinquæ suspicioni non sint, illæ nihilominus, quæ ad eas inuisendas conueniunt, aliquam possunt gignere suspicionem. Denique S. Bernardus inquit duo esse, quæ Religiosos inquinant, & peruertunt, nempè mulierum familiaritatem, & ciborum specialitatem.

Cuncti insuper Fratres animaduertāt, ne mulieres cuiuscumque status, gradus, aut conditionis iuxta Pij V. Pontif. Max. sanctæ mem. Decretum intra nostrorum Conuentuum clausuram introducantur sub pœna priuationis omnium officiorum, & suspensionis à diuinis, & insuper secundum Gregorij XIII. fel. mem. Constitutionem, Excommunicationis latæ sententiæ. Quæ sanè Constitutio iuxta Eminentissimorum DD. Cardinalium Sacræ Congregationis super Episcopis & Regularibus declarationem intelligenda est de Monasterijs iam absolutis, & perfectis, non autem de illis, quæ recens ædificantur, & in quæ nondum familia est introducta; sed nonnulli solùm in il-

lis Fratres fabricæ cauſa habitant. Denique & *illud nobis in* memoriam veniat, noſtram conſuetudinem, & familiaritatem non tantùm cum mulieribus, verùm etiam cum viris raram, & diſcretam eſſe debere, quoniam indiſcreta illorum familiaritas nobis eſt nocumento, & ſpirituali progreſſui magno impedimento.

CAPVT XII.

QVONIAM Infidelium conuerſio noſtro Seraphico Patri maximè cordi erat: idcircò ad Dei gloriam, & eorum ſalutem ſecundum Regulam ſtatuimus, vt ſi aliqui Fratres Chriſti amore inflammati, atque illius Catholicæ fidei zelo ſuccenſi ex diuina inſpiratione ad illis prædicandum proficiſci voluerint, primùm ad Admod. R.P. Generalem recurrant, à quo ſi fuerint idonei iudicati, cum ipſius licentia, & benedictione eant. Ipſi porrò ſubditi ſe ipſos ad tam difficile, & periculoſum negotium aptos nequaquam exiſtimare præſumant: quinimmò cum omni timore, & humilitate hoc ſuum deſiderium ſuorum Prælatorum iudicio omninò committant. Diſcrimen autem fieri poterit inter infideles ſatis manſuetos, dociles, & ad Chriſtianam fidem facilè recipiendam ſatis diſpoſitos, vti ſunt illi recens in Indijs ab Hiſpanis, ſeu Luſitanis inuenti, & Turcas, & Agarenos, qui armis tantummodo, & tormentorum vi ſuam erroneam, & perniciosam ſectam tuentur, ac protegunt. Prælati verò illos dimittere propter Fratrum paucitatem nequaquam deſiſtant: verùm ſuam omnem cogitationem, & ſolicitudinem in illum facientes, qui continuam noſtri curam gerit, in omnibus ſe gerant, vt ſibi à diuino ſpiritu dictatum fuerit, & cuncta cum charitate, quæ nihil agit perperam, diſponant. Et ne alios ad Apoſtolicæ Sedis obedientiam conuertere quærentes, noſmetipſos obliuioni tradamus, & vt in hoc inſuper Sancti noſtri Patris plenè, & omninò Catholici mentem ſectemur, qui cognitum, & perſpectum habens, quantum omnibus, præſertim Regularibus interſit Summo Pontifici Chriſti in terra Vicario, & Apoſtolicæ Sedi ſemper ſubeſſe, præter obedientiam

ac reuerentiam D. Papæ Honorio, & successoribus suis canonicè suffectis, & Romanæ Ecclesiæ, in primo Regulæ Capitulo promissam, voluit etiam, vt vnum ex Cardinalibus pro Domino haberemus, & ad illum petendum in vltimo Capite cunctos Ministros in virtute sanctæ obedientiæ obstringit: proinde statuimus, vt cùm necessitas occurrerit, Admod. R. Ordinis Procurator, Admod. R. P. Generalis, & cæterorum omnium Ministrorum nomine, ad S. B. pedes accedat, atque humiliter vnum ex S. R. E. Cardinalibus in Protectorem postulet.

Cùmq. preterea nos Fratres Minores integram semper, & illibatam iuxta sacrum Euangelium, Sanctamq. Romanam Ecclesiam habere fidem, eamq. firmiter, ac syncerè prædicare, atque pro illius defensione ad proprium effundendum sanguinem, vsque ad mortem esse parati teneamur: statuimus, vt si quispiam Fratrum diabolica tentatione aliquo errore cõtra Catholicam Fidem (quod Deus auertat) irretitus esse deprehensus fuerit, hunc Fratres ad sanctum Officium deferant, in hoc Pauli V. fel. record. Constitutionem obseruantes.

Quoniam verò impossibile est pro cunctis particularibus casibus, qui contingere possunt, leges & statuta sancire, cùm certus eorum, ac determinatus non sit numerus; vniuersos nostros Fratres in Christi charitate hortamur, vt in omni sua operatione sibi ante oculos sanctum Euãgelium, Regulam Deo promissam, sanctas & laudabiles consuetudines, & Sanctorum exempla proponant, suas omnes cogitationes, verba, & operationes ad Dei honorem, & gloriam, proximorumq. salutem dirigentes; & ita Spiritus Sanctus illos in omnibus instruet, & erudiet.

Porrò autem quemadmodum Saluator noster primùm cæpit agere, & operari, deinde verò docere; ita omnes nostri Prælati sese primos in præsentibus obseruandis Constitutionibus exhibeant, ac deinceps cum sancta, & efficaci audacia, & confidentia cunctos subditos ad inuiolabilem earumdem obseruantiam inducant, & si fortè nonnulla ab initio nonnihil difficultatis præseferre videantur; hæc à sancta consuetudine facilia reddentur, & delectabilia. Vt autem meliùs in Fratrum mentibus imprimantur, & obseruentur, nullus Guardianorum omittat quin semel saltem alternis mensibus in mensa legantur, nimirum circa initium mensis Ianuarij, Martij, Maij, Iulij, Se-

ptembris, & Nouembris,& quotiescumque istæ Constitutiones legentur, simul etiam S. D. N. VRBANI VIII. Breue legatur. Si porrò præstitutis temporibus Constitutiones, & Breue legi prætereantur, volumus vt tàm Guardianus, quàm Acoliti, qui apud nos sunt primi mensæ Lectores pro singulis vicibus se disciplina in publico Refectorio flagellent, & semel cum solo pane, & aqua ieiunent.

Et quamuis mens, & intentio nostra non sit, Fratres per has Cõstitutiones vlli peccato obnoxios reddere, nisi quatenus eos Deus, Ecclesia, & Regula obstringit: volumus nihilominùs,& statuimus, vt eorum transgressores grauibus plectantur pœnis. Et huius sanè Constitutionis, quæ parum obseruabatur, vigore, recens singulis transgressionibus maiori ex parte nouissimè sunt pœnitentiæ taxatæ, & præscriptæ. Quas quidem nos Clementis VIII. fel.mem. Decretis inhærentes, nolumus cum aliquo Fratre à Superioribus nisi in infirmitatis casu dispensatum iri. Si autem Guardiani in illis obseruandis negligentes fuerint, vel vt ab alijs obseruentur non curauerint, & delinquentes punire, eosdem ad præscriptas pœnitentias, & alias culparum, & defectuum qualitati proportionatas addendas, subeũdas compellendo prætermiserint, ipsi grauius à PP. Prouincialibus, & isti deinceps ab Adm. R. P. Generali puniantur. Quinimmo quoniam omnes quasi Religionum casus, & ruinæ à Constitutionum transgressione procedunt: statuimus, vt (quod ad pœnitentias in ipsis Constitutionibus præscriptas pertinet) si has PP. Guardiani executioni mandari non studuerint, Pater Prouincialis in virtute obedientiæ teneatur operam dare, vt omnes huiusmodi prætermissæ pœnitentiæ, ab ipsis PP. Guardianis persoluantur: & si Pater Prouincialis in hoc deerit, nolumus eum in proximo Capitulo iterum eligi posse: & si fortè triennium absoluerit, volumus, nouum Patrem Prouincialem, & PP. Diffinitores, illi omninò cunctas adiungere pœnitentias, quas ipse à Patribus Guardianis pendendas non curauerit. Et vt PP. Prouinciales in visitationibus, & PP. Diffinitores in prouincialibus Capitulis defectuum, qui in his potissimùm particularibus admittuntur notitiam habeant: statuimus, cunctisq. Fratribus mandamus, vt nullo modo denunciare prætereant nõ solum Patribus Prouincialibus, sed insuper etiam Diffinitionis

cor-

corpori in Capitulis defectus, quos PP. Guardiani in Constitutionum obseruatione, vel in procuranda pœnitentiarum executione commiserint. Quapropter & ipsam Diffinitionem rogatam esse volumus, vt acerrima, & attentissima cogitatione, iuxta naturalem, & diuinam, qua obstringitur, obligationem, quæ ad ipsos contra PP. Guardianos fuerint delata, ponderent, & expendant; deprehendentes autem eos notabiliter defecisse, illos omninò Guardianatus munere priuent. Super omnia verò percupimus, & optamus, vt Admod. R. P. Generalis non solùm in Visitationibus, sed extra ipsas quocumque tempore omnibus Prouincijs, quoad eius fieri poterit: prospiciat, atque omnibus modis, quos opportuniores cēsuerit, ac efficaciores, integram & perfectam harum Constitutionum obseruantiam curet. Et cùm compertum fuerit quempiam subditum tàm Clericum, quàm Laicum, vel Sacerdotem in visitationibus Adm. R. P. Generalem, aut Patrem Prouincialem de Constitutionū transgressione, & PP. Guardianorum negligentia, & incuria in procuranda pœnitentiarum in ipsis Constitutionibus præscriptarum executione non admonuisse: statuimus, vt disciplinæ flagellatione per Miserere in publico Refectorio plectatur, & per integram insuper diem solo pane, & aqua vescatur; ipsisq. demum sub obtestatione significetur hoc nihil esse, seueræ rationis cōparatione, quam Deo illi sunt reddituri, qui regulares transgressiones Superioribus notas facere negligentes, suo silentio, & taciturnitate, relaxationis, quæ hac de causa in Religionem temporis progressu intruditur, participes, & rei efficiuntur.

Nos omnes porrò Patres, & Fratres meminisse oportet, Religionum relaxationes, vt plurimùm æternas esse, tandiuq. durare, ac permanere, quamdiu & ipsæ Religiones perstiterint, & perpetuæ quidem Religionis Seraphicæ relaxationis participes fieri, & ad reddendam in mortis articulo rationem, dignasq. pœnas suscipiendas obstringi; atque adeò & illius Domini, qui nos de vnoquoque otioso verbo reddituros esse rationem minitatur, iudicio, & vltioni obnoxios reddi; hoc est maximè animaduertendum, quodq. subinde nos magna debet efficacitate lacessere ad omne possibile nauādum studium, ne vel minimam (quoad humana patitur fragilitas) in vlla quantumuis modica relaxatione participationem habeamus, nec tātùm quidem di-

re-

rectè, per nostras proprias, ac personales transgressiones, sed neque etiam indirectè, non admonendo, neque corripiendo, neque Superioribus, vt ipsi prouidere possint, suggerendo, aut denunciando. Quapropter licet subditi pro certo haberēt, Superiores in debitis applicādis correptionibus, remedijs, & prouisionibus defuturos: ipsi nihilominus, eos quorum studio, ac prouidentię concredita est huiusmodi malorum medicina, & curatio admonendo, satis causæ, & officio suo fecerunt, diuinū autem iudicium, & vindicta in Prælatos cōuertetur, iuxta illam Spiritus Sancti sententiam: *Potentes potenter tormenta patientur*. *Sap. 6.*

Denique & illud Fratres aduertere oportet, obedientiæ præcepta subditis à Prouincialibus in Visitationibus ad illa reuelanda, quæ punitione opus habent, ac remedio, tradita; eos ad denunciandas Constitutionum transgressiones, & cum primùm Guardianorum defectus circa pęnitentiarum in eisdem Constitutionibus pręscriptarum executionē obligare: Nimirum, quòd hoc potissimum magnam prouisionis, & remedij indigentiam, ac necessitatem habeat. Quod porrò de PP. Guardianis tàm in hac, quàm in cæteris alijs particularibus rebus statuitur: idipsum pariter secundùm proportionem, & de Patribus Vicarijs, & alijs Superioribus localibus in eorumdem PP. Guardianorum absentia decernitur.

PP. autem Prouincialibus præcipitur, vt in Visitationum pręnunciatione hanc Constitutionem in publico Refectorio coram omnibus cuiuscūque familiæ Fratribus legi iubeant ab illis verbis: statuimus, vt (quod ad pœnitentiam potissimū in ipsis Cōstitutionibus præscriptas pertinet) & c. incipiendo vsque ad finem præsentis clausulæ, ac periodi.

Quoniam verò præsentes Constitutiones maxima diligentia dispositæ fuerunt, atque digestæ, & nunc denuo haud minori diligentia recognitæ, & emendatæ, & insuper à Sacra Congregatione approbatæ, & à S.D.N. VRBANO VIII. confirmatæ: statuimus ne absque ipsius Sacræ Cōgregationis cōsensu, sanctęq. Apostolicæ Sedis nutu immutentur: quemadmodum idem pariter Dñs Noster in suo Breui in earumdem Constitutionum fine in sito, & annexo ordinat, & mādat: Quandoquidem tot Constitutionem permutationes (vt certo didicimus experimēto) maximo Religionibus fuerunt detrimento; Prouinciales autē Consti-

ſtitutiones non fiant: ſi qui verò alij particulares caſus occurrerint, his in generalium Capitulorum Tabulis conſulatur, & prouideatur; hæ autem, ſecundùm quas tota noſtra Congregatio viuere debeat, & cum ſancta vniformitate moderanda ſit, immutabiles in ſe perſiſtant.

Et quia pręterea noſter Seraphicus Pater Franciſcus cũ mortis articulo proximus eſſet, veris, & zelantibus Regulæ obſeruatoribus, largam Sanctiſſimæ Trinitatis, ſua pariter ſimul adiũcta paterna, legauit, largituſq. eſt benedictionem; idcircò omnes diligenter cum feruenti, & ſyncero amore, omni abiecta negligẽtia perfectionem nobis in ipſa Regula, & Ordine noſtro cõmonſtratam, & doctrina traditam aſſequi ſtudeamus: Cũctiq. ſubinde Fratres ſummopere præcaueant pręſentes tranſgredi Cõſtitutiones, ſed agnoſcẽtes cuius ſpiritus ſint; Religionis leges, & ſtatuta ſibi inuiolatè cuſtodienda, & obſeruanda proponant, & ſtatuànt, vt gratia ipſorum capiti addatur, & diuinam per huiuſmodi obſequia promereantur clementiam, atque Dei Filiò cõformes fiant, qui legibus à ſe latis nequaquam deuinctus, ſeſe pro omnium ſalute obnoxium eſſe voluit. Sublimem igitur Religionis ſtatum conſeruent, ſuiſq. proximis multorum bonorum cauſa exiſtant: Scientes, bonis, & fidelibus ſeruis non ea ſolùm, quæ illis ab heris, & Dominis minaciter pręcipiũtur, adimplenda eſſe: ſed alia quoque multa, quæ illis placere nouerint, ſua ſponte, & voluntate facienda.

Frequenter Patres, Fratreſq. chariſſimi nobis in memoriã redeat illud ſacrũ, & memorabile thema, ſupra quo noſter Seraphicus Pater ſolemniſſimam ad illam magnam Patrũ multitudinem habuit Concionẽ: Nos quidẽ Deo magna promiſiſſe, maiora verò Deum nobis pollicitum eſſe: Quocircu haſce Conſtitutiones, & quicquid promiſimus, obſeruare ſtudeamus: atq; ardenti deſiderio ad illa nobis deſponſa bona aſpiremus. Huius mundi voluptates perbreui tranſeũt tempore, ut infernalis pęna illas conſequens, illarumq. ſectatoribus debita perpetuò eſt duratura. Perpeſſiones, quas Chriſti amore perferimus, & pœnitentia, quam illius cauſa agimus, exiguo tempore prætereũt: ſed gloria nobis à Deo propter iſta retribuenda, erit infinita. Multi ad æternum Regnum ſunt vocati: ſed pauci electi, quia pauciſſimi ſunt, qui Chriſtum in cordis veritate ſequuntur. Verum-

rum-

rum tamen Deus tãdem vnicuique tàm bonis, quàm malis suorum operum retributionem reddet aut gloriam, aut ignis æterni confusionem.

Ea propter hæc omnia exequentes oculos in Redemptorem nostrum conijciamus, vt eius cognito beneplacito, illi placere studeamus, nedum quidem præsentes non cõtemnendo Constitutiones (quoniam illarũ contemptus graue peccatum esset) sed omnem etiam illius amore in earum obseruatione negligẽtiam fugiendo. Hæ siquidem sua custodia, & obseruantia nobis deinceps adiumento erunt non solùm ad promissam implẽdam Regulam: sed etiam ad diuinam perficiendam legem, & ad Euangelica exhaurienda cõsilia, & in laboribus per IESVM Christũ abundabit cõsolatio nostra, & omnia poterimus in illo, qui nos confortat: quoniam nobis in omnibus intellectum tribuet ille, qui est Dei sapiẽtia, & dat omnibus affluẽter, & nõ improperat.

Quinimmo in Christo, qui est lumen, & expectatio Gẽtium, finis legis, salutare Dei, Pater futuri sæculi, Verbum, & Virtus omnia portans, & spes denique nostra, in quo omnia sunt possibilia, suauia, & leuia, & cui cognita, & comperta est nostra fragilitas, non solùm vires ad sua persequenda exequendaq. mandata, & consilia suppeditabit, sed suis etiam cælestibus donis in tanta copia, & affluentia cumulabit, vt cunctis deuictis, & sublatis impedimentis, ipsum cũ maxima cordis alacritate, & simplicitate sequi, & imitari valeamus, hæc visibilia, & temporalia contemnendo, & ad cælestia, & æterna aspirando.

In Christo igitur, qui est Deus, & homo, lux vera, & splẽdor gloriæ, candor lucis æternæ, & speculum sine macula, & imago bonitatis illius, qui ab æterno Patre cõstitutus est hominum Iudex, legislator, & salus, & cui Pater, & Spiritus Sanctus testimonium reddiderunt, & in quo sunt nostra merita, vitæ exempla, auxilia, fauores, & præmia: factus nobis à Deo sapientia, & iustitia, omnis nostra cogitatio, meditatio, & imitatio posita sit, & defixa.

Christo denique, qui cum Patre, & Spiritu Sancto coæternus, consubstantialis, coæqualis, & vnus Deus viuit, & regnat, sit sempiterna laus, honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

VR-

VRBANVS PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX iniuncto Nobis Apoſtolici muneris debito, ſacrarum Religionum, & Congregationum in Ecclesia Dei piè, ſanctèq; inſtitutarum proſperum ſtatú, fœlicemq; directionem ſinceris deſiderantes affectibus, his, quę prouidè facta fuiſſe dicuntur, vt firma perpetuò, & illibata perſiſtant, libenter cùm à Nobis petitur, Apoſtolici muniminis adijcimus firmitatem, aliasq; deſuper eiuſdem muneris partes interponimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Cum itaquè ſicut pro parte dilectorum filiorum Miniſtri generalis, & Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Congregationis Capuccinorum nuncupat. Nobis nuper expoſitum fuit, ipſi Conſtitutiones pro bono dictæ Congregationis regimine, in generali eorum Capitulo de Anno 1536. celebrato factas, ac poſtmodum inſertis nonnullis Concilij Tridentini, Summorumq; Pontificum prædeceſſorum noſtrorum decretis, quæ neceſſariò erant inſerenda, iterum typis editas, nunc denuo cum inſertione decretorum à fœl. record. Clemente Papa VIII. etiam prædeceſſore noſtro pro reformatione regularium de Anno 1599. emanatorum, ac à Ven. fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus Concilij prædicti Interpretibus, ex peculiari

facultate illis desuper à Nobis concessa innouatorum, proprijsq; & perpetuis Ordinum, & Congregationum regularium quarumlibet statutis, & constitutionibus iuxta eorundem decretorum dispositionem inserẽdorum insertione latino, & Italico idiomate typis mandare intendant; quò verò Constitutiones huiusmodi firmius subsistant, exactiusq; obseruentur, illas Apostolicæ nostrę confirmationis robore communiri desiderent. Nos Ministri generalis, & Fratrum prædictorum desiderio huiusmodi fauorabiliter annuere, ipsosq; specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspeñ, & interdicti, alijsq; ecclesiasticis sententijs, ceñ, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum pręsentium dumtaxat consequendũ harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorundem Ministri generalis, & Fratrum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, De Venerabilium fratrum nostrorum etiam S. R. E. Cardinalium negocijs Regularium præpositorum cõsilio, Constitutiones prædictas, prout conscriptæ iacent, cum omnibus & singulis in illis contentis Apostolica auctoritate tenore præsentiũ perpetuò confirmamus, & approbamus, illisq; perpetuæ & inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & singulos tam iuris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet interuenerint in eisdem, supplemus. Decernentes illas, necnon præsentes litteras perpetuò validas, firmas, & efficaces

caces existere, & fore, ac ab omnibus dictæ Congregationis Fratribus nunc & pro tempore existentibus inuiolabiliter obseruari, sicq; per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstañ constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac alijs quibusuis Congregationis, & Ordinis prædictorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis eisdem Congregationi, & Ordini, illorumq; Superioribus, & personis, ac alijs quibusuis sub quibuscunq. tenoribus, & formis, ac cũ quibusuis clausulis, & decretis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumq; totis teñ specialis specifica, expressa, & indiuidua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum omnium, & singulorum teñ præsentibus pro sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisq; contrarijs quibuscunque. Volumus autem, vt præsentium transumptis etiam impressis manu Notarii publici subscriptis, & sigillo perso-

næ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xxiiij. Martij MDCXXXVIII. Pontificatus Nostri Anno Decimoquinto.

M.A.Maraldus.

IN-

INDEX

Rerum, & materiarum, quæ in hiſce Conſtitutionibus continentur.

Car-

C

Con-

Ele-

Quali

G

Generalis.

Guardiani.

Q Qua-

H

Habitus, & Tunica.

I

Infirmi.

L

Loca, Monasteria, officinæ, fabricæ, fabricatores & præfecti.

Le-

Pro-

Pro-

Prouinciales & Vicarij Prouincialis.

Non

An-

Laus DEO, & B. V. Seraphicoq. P. S. FRANCISCO.